





2
3
221











SACRUM
MUSEUM

D


SACRUM MUSEUM.



II

NON PLUS ULTRA





SACRUM
MUSEUM
MANTUANÆ CONGREGATIONIS
CARMELITARUM
DE OBSERVANTIA
IN QVO

Celebriorum Heroum ſingula Simulacra propriis gemmis coronata, ſuiſque locis aptè diſpoſita conſpiciuntur.

AUTHORE

Reverendiſsimo Sac. Theolog. Mag. ac Doct.

CLEMENTE MARIA FELINA

Olim in eâdem Congregatione iteratò Vicario Generali.



BONONIÆ, Ex Typographia Piſariana M.DC.XCI. Superiorum permiſſu.

IV.

EMINENTISSIMO
PRINCIPI
PALUTIO
DE
ALTERIIS
S. R. E. CARDINALI
AMPLISSIMO
ORDINIS
CARMELITARUM
PROTECTORI
HUMANISSIMO.



EMINENTISSIME PRINCEPS



Oëticus P. M. Felinæ Genius, Mantuanæ Congregationis delicias, mare videlicet haud exiguum, na-

vigans, cum Herculeas EMINENTIÆ TUÆ Columnas attigerit, ad NON PLUS ULTRA pervenisse planè videtur. Sistendum igitur, ac illis, Gentilitio TUO Stemmate decoratis, suspenso in obsequentissimi animi signum Plectro, litandum est. Hęc Carmina animi levandi gratia confecta, quamvis ab invito extorta, ut Prælo subderentur, EMINENTIÆ TUÆ dicari debuerant; cum Nulli alteri sacranda idem Author censuisset, si devictis moderationis suæ obicibus, Ipse de fœtu suo in publicam lucem emittendo cogitasset. Cum enim à gravioribus curis, ac ab ingenti rerum mole paululùm oculos, animumque ad hasce Musarum delicias converteris TU, Doctissime Ingeniorum CULTOR, ÆSTIMATOR, & FAU-

TOR

TOR, non dubito quin P. M. Felinam, TIBI aliis profectò potioribus argumentis probè notum, ex hisce humanioribus studiis, veluti ab ungue Leonem arguens, inter fulgidiora Virtutum lumina colloces. Rem tamen Authoris, ut verum fatear, agens, haud meæ promovendæ oblitus sum; nam cum TIBI, ob singularem in me dignationem, summè devinctus, & maximè inops solvendo essem, id egi, ut ex alterius Scriniis quod è re mea esset, TE dignum nanciscerer. Id agens, in eam spem erectus sum, ut credam fore ut ęqui, bonique consulas conatum meum; Is enim es, PRINCEPS EMINENTISSIME, Qui oblati muneris pretium dijudices, Authoris probitatem, ac eruditionem cognoscas, ac Animi Magnitudine offerentis tenuitatem

ſuppleas. Hęc in TE tam excellit, quàm cæteræ, quibus rutilas, Dotes, à quibus, ut alii ſolent, laudandis ſuperſedeo, ne ſummæ TUÆ Moderationis violatæ crimen reus incurram: Quamvis enim quidquid ſcriberem infra Meritum TUUM eſſet, ità tamen es TIBI ſuperior, ut exiles quantùmvis laudes renuas. Silentio aptiùs, quàm encomiis res TECUM agenda eſt, tum ut pro collatis in me beneficiis gratias agam, tum ut non deſinas nova impertiri, humillimis precibus obtineam. Perge itaque, MOECENAS optime, tenuitati meæ opitulari, eo Syderum TUORUM influxu, quo jam diu, potentiſsimo Protectionis jubare diffuſo, recreor. Inclyto TIBI PATRONO Mantuana Carmelitarum Congregatio plurimùm debet, ipſe me totum;

qui

qui, etsi variis jactatus adversis, destitui tamen haud timeo, dummodo idem, quo in dies fruor, pręsidium ab EMINENTIÆ TUÆ Clementia, & Authoritate identidem liceat expectare. Summus interim rerum Conditor mea exaudiat pro TUA incolumitate vota, Nomenque TUUM ultra Anni, Solisque vias promoveat

Eminentiæ TUÆ Amplissimæ

Humillimus, Obsequentiss. ac Addictiss. Servus

Gaudentius Robertus Carm. Cong.

IN LIBRVM EMINENTISSIMO CARDINALI ALTERIO Dicatum.

FUlcit Atlas Cœlum Stellis ardentibus aptum,
Cœlum *Sideribus Sex* facit Iſte Librum.

Bonaventuræ de Rubeis.

Ad Carmelitarum Congregationem. Auſpicium Cœleſtis fortunæ

Alluditur ad Conventum Sylvarum Ditionis Florentinæ, in quo primò refloruit Obſervantia, & ad Aſtra Eminentiſsimi Protectoris Alterij.

A *Sylvis*, *Florum*que Solo ſi ſcandis ad *Aſtra*,
De Terra in Cœlum nobile ſumis iter.

Veronelli Carmelitæ.

In Gentilitium Stemma EMINENTISSIMI ac HVMANISSIMI PROTECTORIS, Ad Herculeas Columnas in fronte Libri ſuſpenſum.

H*Erculis* excedit *Duplices* tua Gloria *Metas*;
Sint GEMINÆ CLAVES unica *Meta* Tibi.

Gaud. Rob. Carm.

LE-

LECTORI BENEVOLO

Gaudentius Robertus Carm. Congr. S. P. D.



N Tibi, Lector optime, tam doctum, quàm pium; tam eruditionis, quàm pietatis illuſtre ſpecimen. Authoris enim fuit mens, eo tempore, quo in noſtro Generali Capitulo, juxta commendabilem Congregationis uſum, communis fit Fratrum defunctorum Commemoratio, eorumque, dum humanâ fruerentur aurâ, præcipuæ Virtutes, & Beneficia recenſentur, hoc MVSEVM manu exaratum, uti perpetuum noſtræ Congregationis Heroum Necrologium, exhibere: ut Patrum Animæ, quæ tam dignis encomiis apud homines commendari promeruerunt, eò intenſiùs Divinæ Miſericordiæ commendarentur à Filijs. Ego verò, cui precipuè Carmelitica ſunt cordi, utpote qui Scriptorum Ordinis Acta & Opera exhibiturus, nullis peperci vigilijs, nullis laboribus, nullis ſtudijs, itineri-

bus,

bus, ac sumptibus; quamvis, contrarijs urgentibus undique ventis, optatum Litus arripere nondum potuerim; piissima hæc, fœcunda, & acutissima DISTICA, in quibus omni laude majus cumulatum verborum acumen elucet, totius Orbis luce digna, obtinere curavi. Publicis inde Typis ea (Authore quidem, valde gravioribus, & magis ætati suæ, ac professioni congruis lucubrationibus dedito, ægro animo permittente) ausus sum demandare, ne ingenita Ipsius modestia communi tum Fidelium, tum Litteratorum utilitati singulare præjudicium inferret.

Gesta Patrum, quæ admirabili Carminis suavitate, puritateq; sermonis describuntur, partim ex Romano Archivo, ex peculiaribus Conventuum Monumentis, ex Actis Capitularibus, ex P. Lezanâ, aliisque Scriptoribus; partim ex varijs Amicorum fide dignis relationibus, quin etiam ex proprijs Gravissimi AUTHORIS notitijs, ipsomet attestante, fideliter sunt exarata.

Quod si contigerit hoc Opus, in quo naturalis inest, non fucatus, undique nitor, à delicatis, ac ineptis quorundam auribus respui, lepidus Tibi

(Hu-

(Humanissime Lector) sit notus eventus. Iani Nicij Erythræi, seu Victorii de Rossis, vel Rubeis, eruditionis singularis, acris iudicij, ac suâ ætate incomparabilis Viri Amicus quidam, cui Carmen egregium nobilis cujusdam Poëtę, *legerat*. Luculentum est, inquit, hoc Carmen, sed nimis apertum, ac dilucidum; *Poëma egregium propter puritatem sermonis vitio damnans, illusorium excitavit risum. Ego quoque, dum hæc præ manibus haberem Carmina cum præfato Nicio quosdam offendi*, rerum magnificarum. admirabilium, infinitarum Artifices, ac Magistros; qui, quò auribus infinita expectantium occurrant, verba propria, ac rem explicantia, tanquam ante pedes posita, rejiciunt. abdita, abstrusa, recondita è tenebris evocant; quę nemini unquam sano venerunt in mentem excogitant; eaque non circumvestiunt verbis, ut possint intelligi, sed sepiunt fumo, atramentoque, ne perspici queant: semper tumidi, semper inflati alas pandunt, montium vertices appetunt, nubes, & inania captant.

Ian. Nic. in Epist. Nũcup. Eudemiæ ad Aleãdr. Iunior.

Cæterùm me eas, quas suscepi, Scriptorum nedum

dum

dum Ordinis Carmelitarum, verùm etiam totius Italiæ Bibliothecas, Deo dante, verè ingenuis faventibus Amicis, vergente Fortunæ Rotâ, prosecuturum polliceor. Interim tamen me scias velim frequentibus vexatum angustijs, ac ijs distractum curis, quæ apud discretos Viros moram, fortè longiorem, excusare queant. Tu otia mihi, ac secessum apud Numen opitulans adprecare, quibus, si adessent, in publicam utilitatem cessuris, jamdiu privor. Vale.

De Reverendiſsimo P. Mag.
CLEMENTE MARIA FELINA
Eruditiſsimi Operis Authore.

VIvit Aquis Pindi Eliæ conceptus in Igne
Spiritus, & Domini eſt, qui quoque fertur Aquis.
Spiritu Eliſeus referat duplicatus Eliam,
Tertius Hic Vates *Spiritus ingenio eſt.*
Unde *Prophetarum Carmelus Gloria, Vatum*
Pindus, erit Thabor Spiritu in Hoc triplici.

Ad Eundem.

ELiadum, Vates, *celebras encomia Patrum;*
Illa ſibi condit, qui Monumenta locat.

Abbas Hippolytus Fornaſarius.

Elias puero exanimato vitam reddit Reverendiſs. P. M. Felina vivacibus Diſticis Defunctorum Vitas reſtituit.

MEnſio trina Patris *Natum revocavit ad auram;*
Vivificat Nati menſio bina *Patres;*

D. Benedicti B.

BONONIA DOCET MATER STUDIORUM.

S *Mediet Studii*, Felina *eſt* FelSina; *ſed mas;*
Nunc Studium Matrem *poſſidet, atque* Patrem.

Ejuſdem.

Ad

Ad Reverendiſs. Autorem.

QUos *Tuus Elias magnos produxit Alumnos,*
Grande Tuum *ſummo Carmine reddit* Opus.
Conditor Iliados jam *dicebatur Homerus,*
Ipſe novus, Clemens, *Conditor Eliados*.

Bonaventura de Rubeis.

Ad Eundem, jam Vicarium Gener. Congreg.

J*Am tua Te*, Clemens, *Carmeli Pallas Alumnis*,
Sed Tibi comparibus, fecerat eſſe Patrem.
Cum celebras priſcos Carmeli at carmine Patres,
Te prius & natis incipis eſſe Pater.

Franciſcus Doct. Ferrarius.

P.M. Felinæ Stemma eſt *Conchyle ſuper mare.*

CLementis, *ſalſique* Maris Conchyle *refulget*;
Si gemmas cupias, Diſtica *ſume Tibi*.

Veronelli Carm.

Carmelitæ viventes ad Reverendiſs. Authorē.

S*Æcula vive*, Pater; *cupimus* Tibi *morte præire*;
Omnibus optandam Tu *facis eſſe necem*.

Ejuſdem.

De eodem Reverendiſsimo Authore.

M*Ira Patrum claudunt illuſtres* Diſtica *Vitas*;
Pro Authoris *Vitâ non ſatis ipſe Liber.*

Gaud. Rob. Carm.

HI-

HISTORICUM
MANTVANÆ CONGREGATIONIS CARMELITARVM
COMPENDIVM.

*Armelitica* Religio, quæ à fœcundissimo Heliano Fonte derivans, in regium Flumen excrevit, *Mantuanæ Congregationis* nobilissimum Ramum, qui ad Regularis perfectionis Oceanum imperturbabili, & glorioso cursu contenderet, ex uberrimo sinu, Divino Numine protegente, produxit. Hic à sapientissimis Patribus per novum, purumque alveum de maternis aquis deductus, tantâ, non multi temporis tractu, prosperitate processit, ut ab immediatâ Scaturigine limpidiori semper pede recederet, & strictiori Regulâ duce, zelo assistente, favente Cœlo, ad prima sanctitatis principia felici progressu reverteretur. Auspicatissimo Partui à Conventu Sylvarum in Thuscia motum dedit de Anno MCCCCXIII. Lector Jacobus Alberti, Hetruriæ Alumnus, Vir zelantissimus, & inculpabili vitâ præclarus; in hisce quamvis primordiis per inassuetam viam innocens Rivus transcurrens, lento gradu profecerit, & obstacula non defuerint, quæ purgatissimas undas, sive aversionis, sive difficultatum oppositis aggeribus, retropellere conarentur.

A piissimo postmodum, & inclyto Mantuano Cœnobio, Girundensem Conventum Diœcesis Sedunensis in Alpibus ad sua vota trahente, vehementiorē est sortitus impulsum; in ejus etenim amātissimo gremio Anno MCCCCXXV. tenerrimo ample-

xu receptus, primique Fontis candidissimo lacte nutritus, brevi Annorum spatio clarum adolevit in Fluvium, & antiquæ Observantię mirabilibus incrementis intumuit. Electo siquidem in primum nuper ortæ Congregationis *Præsidentem* Francisco Thomâ de Franciâ, tam exquisitæ probitatis Patre, ut in antiquis Mantuæ, ac Bononiæ Codicibus *Beatissimi* titulo post mortem decoratus legatur; talem, ac tantum exuberanti charitatis, zeli, ædificationis, & quarumcunque Scientiarum profluvio impetum recepit; tamque proportionatam, simulque suavem in profundâ humilitate, ac modestiâ declivitatem reperiit, ut secundis auris percurrens, ad omnium heroicarum Virtutum optatissimam metam veloci, rectoque gressu pervenerit. Vigilantissimi Præsules usque ad Annum MCCCCXLIII. variatis vicibus extitere PP. Baccalaureus Gigus de Franciâ, Mag. Ioannes Sellæ de Viennâ, Rubinus de Franciâ, Ioannes de Fonte, Mauritius de Girundâ, Mag. Guillelmus de Fonte, & Mauritius de Valesio; Viri omnes doctrinæ præstantiâ, & morum integritate conspicui, qui pariter, ut *Præsidentes*, rexerunt; sed mage præsedit, rexitque justitia, prudentia, discretio; ex quo eminenti Regimine sitibundis, Cœloque inhiantibus Subditis *aqua Sapientiæ salutaris* defluxit.

Angusta decem, & octo Annorum periodus perfectiora plurium sęculorum exemplaria paucis in Patribus restrinxit; & vix promota salubrium humorum collectio, nedum Claustrorum Hortulos, verùm & Mundi Campos, superno confluente favore, notabiliter irrigavit. Candida Lilia nutrivit in Cellis; Cœlestes in Confessionum Auditorijs Hyacinthos; in sacris Pergamis pungentes Rosas; Grana sinapis in Cathedris; immortales Palmas in Typis; & Operibus, ac documentis proficua; se veluti medicam Animarum Piscinam com-

communi accurrentium utilitate perhibuit.

Clarissimi tamen hujusce Concursus non diu permansit illibata tranquillitas. Nondum enim Pontificiâ approbatione firmiter roboratus, multas tunc temporis perniciosas agitationes, fluctuum tumultûs, & cursus diversiones sustinuit. Æmulorum invidia, Sententiarum discrimina, zelotypia Jurisdictionis, Matris contentio cum Filiâ, non contemnendas perturbationes excitarunt. Puri Amnis turbatio eò usque pervenit, ut ipsam sola Summi Hominum Piscatoris auctoritas iterum clarificare valuerit. Invalescente de Anno MCCCCXLII. inter Provincialem, & Congregatos circa Jura, & Subditionem dissidio, ad Eugenium Quartum, tunc Florentiæ sedentem, opportunus habetur recursus; & Sanctissimus Pontifex *legem posuit aquis, ne transirent fines suos*. Fluctuationes sedantur; ipsamet Congregatio confirmatur; & a Provincialium obedientiâ Mantuæ Conventus, necnon Girundę, ac Sylvarum, qui quasi translucidi Rivuli a Montibus decurrentes, in illius Communitatem defluxerant, eximuntur.

Itaque quietem commotio, seditio sedationem, & progrediendi facilitatem impedimenta dedere. Felicissimæ huic Unioni de Anno MCCCCXLIII. in Girundæ Capitulo præficitur P. Baccalaureus Petrus Stephanus de Francia, Claustralis perfectionis epilogus; & *Vicarij Generalis* novo titulo, qui usque ad hæc tempora perseverat, insignitur. Multa pro Dei cultu, & quietis manutentione sanctissimè ordinavit, & in ejus Angelico Gubernio *Spiritus Domini* Divino afflatu *super aquas ferebatur*. Anno postmodum MCCCCLXV. sub Juliano de Brixiâ unicum Regiminis Biennium singulis Vicariis Generalibus rigorosè præscribitur (licet posteà dignis de causis

Apostolica Sedes ab Anno MDLXXXIV. usq; ad MDXCVI. pro Triennio dispensarit, & iterum ab Anno MDCLXX. idem Privilegium, quod hactenus durat, renovarit) & sub eodem Juliano statuitur inviolabile vacationis ab Officio interstitium per quadriennium, ne jussa dare assuescentibus, è memoriâ labatur Obedientia, quæ Fraternæ pacis est provida Nutrix, & conservandæ Religionis necessarium alimentum.

His omnibus prudẽter institutis, ac tam beneficâ Congregatione Summorũ Antistitum providẽtiâ communitâ gratiisque, ac exemptionibus illustratâ, o qualem reassumpsit fluidissimum cursum, quales tum moralium, tum intellectualium Virtutum inundationes effudit, quales suavissimas lymphas Fidelium spiritui delibandas exhibuit! ad ipsas Populi omnes, omnis Conditio, *quemadmodum Cervus ad Fontes aquarum*, sitiebant, & properabant. Biberunt proprii Partûs Observantiam, & doctrinas; alienæ Religiones utramque Theologiam; Pœnitentes paternas admonitiones; inauditam Sapientiam celebriora Lycea; hæresum destructionem Concilia; Canonica dogmata Episcopi; Magnates prudentissimas directiones; æquissima Cardinales consilia; & solidas Fidei consultationes Pontifices; *vox* enim *Domini super aquas, & Deus majestatis intonuit*. Fama invitabat ad pocula; Sanctitas, & Scientia propinabant. Certatim idcirco Urbes per totam Italiam, Respublicæ, Principes, Purpurati, ipsi Christi Vicarii exemplarissimum Cœtum novis Conventibus augebant; & *flante Deo latissimè funduntur aquæ*, ita ut brevi temporum intervallo Virorum Monasteriis ad sexaginta, Sororum Claustralium supra duodecim, non exiguâ gloriâ multiplicatæ refulserint.

Ipsa Carmeli Beatissima *Mater* hisce suis dilectis *Filijs* propriam credidit Sanctissimam *Domum*, & per Sixtum Quartum

An-

Anno MCCCCLXXXIX. eorum vigilanti *custodiæ* commissam voluit, & ab Ipsis per multos Annos gubernatam; ut Quæ in sui honorem *primum* habuit a Carmelitis *Sacellum*, postremam in Congregatis, sed primordiali consimilem devotionem hoc pretiosissimo Munere compensaret. Sic *Mare* gratiarum benignas addidit undas, & *Vitę Fontem* communicans, Mantuanæ pietatis fertilem Fluvium insignibus prærogativis adauxit.

Nō defuit quidē & in hoc auge faustissimo venenata discordiarum Patris invidia, quæ variis temporibus purgatissimam illius claritatem contaminare studeret. Accidit hoc præsertim Anno MCCCCLXXXIV. sub Baptistâ Mantuano, excitatâ de magis congruo Carmelitici Habitus colore ferendo nō superficiali inter Conventuales, & Congregatos dissensione; quam tamen ipse Baptista, non tincto, & obscuro, sed puriori, & naturali, utpotè antiquo magis conformi, adhærens, glorioso exitu superavit, & Dæmonis artes duabus Eclogis, quarum prima *Bembus*, altera *Batrachus*, & *Myrmix* artificiosâ lepiditate delusit. Anno pariter MDXXXI. Vicario Generali Petro de Gręcis. MDLXXIII. sub Jovita Gorzonio, MDCXXXIII. sub Dominico Mariâ Pulzonio, & MDCLX. sub Dominico de Muggianis, purissimas lymphas novis semper, seu prætensæ Subjectionis, sive Jurisdictionis, aut Appellationis ad Generalem, vel Annullationis Capituli vexationibus, & dissidiis attentavit turbidus Tentator inficere.

Sed jam a Supremis Pōtificibus prælibatæ, ac eorum gustui gratæ, promptum sunt sortitæ remedium; nempe favorabilibus Sixti Quarti, Clemētis Septimi, Gregorii Tertiidecimi, Urbani Octavi, & Alexandri Septimi Bullis, ac Sapientissimis Decretis, quasi Patriarchæ Elisęi vivifico Sale sanatæ, libero semper, & incessanti motu fluxerunt. Fausto ea propter itinere, ma-

gis-

giſque inter anguſtias, ampla hæc Congregatio ſemper proceſſit, & quòt guttas diſperſit, tot Palmas, ac Lauros admirandâ fœcunditate rigavit.

Dedit Eccleſiæ B. Angelum Auguſtinum de Florentiâ, primæ Sylvarum Reformationis zelantiſsimum Coadjutorem, Ven. Petronium de Jacobis à Bononiâ, B. Baptiſtam Hiſpaniolum de Mantuâ, B. Bartholomęum de Fantis pariter Mantuanum, B. Ioannam Scopelli de Regio, B. Archangelam de Tridino, & Ven. Albertum Leonium de Revero, innocentiſsimas Animas, affluentiâ gratiarum in Cellulis, & in Cęlis *torrente Divinæ voluptatis* exuberanter conſperſas. Venerationi expoſita reliquit fulgentiſsima, & integerrima *Corpora* eorumdem Baptiſtæ, Bartholomæi, Joannæ, Archangelę, ac Alberti, Clauſtralis integritatis perpetua Monumenta, & Sitientium æternitatem exhilarantia pocula devotioni. Inter Sacros Epiſcopos Julium de Superchis, & Dominicum Rotam connumeravit; Præſules ambos veri Paſtoris dotibus exornatos, & mellifluas *aquas, de Fontibus Salvatoris* eductas, commiſsis Gregibus propinantes.

Ad ſupremam totius Ordinis Carmelitici Dignitatem TER MAXIMVM Heroem Baptiſtam Mantuanum evexit; & per tanti Patris illuſtriſsimum Regimen potuit *Religionis Ramus* fœcundiſsimâ gratitudine, *paterni Fluminis* Aquas limpidiores efficere. Variis Cardinalibus, Ducibus, & Principibus, pręcipuè Romæ, Florentiæ, Ferrariæ, ac Mantuæ, protulit dignos pro Conſcientiâ Judices, pro Regimine Conſiliarios; inter quos Baptiſta Hiſpaniolus, Horatius Pedemons, Sylveſter de Mantuâ, Baptiſta Panetius, Lactantius Domaninus, Theodorus Cambius, & Albertus Leonius; in quorum *corde Conſilium, ſicut aqua profunda*, tum Statûs, tum

Ani-

Animas ad Portum ſecuritatis ducebat. Veneto Legato addidit Socium in Hiſpaniâ egregium Theologum Jacobum Maruffum e Venetiis,& Pontificio Nuncio Colonię graviſsimum itē Theologum Angelum Robertum de Laurentis, perſpicaciſsimos Conſultores,ex quorum prudentibus aphoriſmis peregrinæ, atque Chriſtianæ Politiæ occultiores latices emanabant. Tradidit Apoſtolico Solio vigilantes Commiſſarios contra perfidam Hęreſiarchę Luteri pravitatem Joannem Baptiſtam Confalonium, Antonium Riccium, Octavianum Sangallum, & plures alios; qui sũmi zeli agitationibus,& doctrinæ profunditate rapaciſsimi Piratæ fuere vortices,& naufragia.Sacro ſancto Tridentino Concilio proficuè deſervivit per Theodorum Maſium, Lucretium Tyroboſcum, & Sylveſtrum de Mantuâ, qui *ſalutaris Sapientiæ* altiſſimis *aquis* Eccleſiaſticæ Navi tranquilla itinera prębuere.

Primarios Italię Suggeſtûs, maximè Taurini, Mediolani, Bononię, Romę, Neapolis, & Venetiarum, per plurimos Verbi Dei Pręcones illuſtravit; ex quibus eminentes extitere Baptiſta Panetius, Ioannes Baptiſta Granellus, Petrus Magni. Joannes Baptiſta Pallavicinus, Ioannes Baptiſta Frumentus, Angelus Sivorus, Franciſcus Maria Serbellonius, & Theodorus Muggianus; qui cœleſtibus Apoſtolicæ facundiæ Fluentis tartareos ignes Fidelium in cordibus efficaciter extinguebant. In Clerum Sęcularem, & in multas Religiones, ſignanter in Chartuſianam, Cœleſtinam, & Caſsinenſem, gratiſſimos doctrinarum ſtillavit favos ex ore ſuavi plurium Magiſtrorum; inter quos Angelus Capreolus, Baptiſta Panetius, Baptiſta Ferrarius, Antonius Riccius, Albertus Diolaitus, & Seraphinus Georgius, celeberrimi Pręceptores, quorum *ſcientia, quaſi inundatio*, & Moralibus, & Scholaſticis profluvijs exube-


rabat. Innumeras Lauros in principibus Bononiæ, Patavij, Papiæ, Pisarum, & Ferrarię Viridariis enutrivit; & multas etiam in Sorbonensi, quibus Vincentii Marsii, Ioannis Angeli Coradelii, Ioannis Baptistæ Granelli, & Cyrilli Cantelli desudantia tempora redimivit. A publicis Cathedris per eminentes Lectores purgatissimos demisit influxûs; in Felsineo præcipuè Archigymnasio per Albertum Diolaitum, scientificę claritatis perspicuum Fontem, & per Ioannem Riccium, illustrem Astrorum Observatorem, ac *redundanti Fontis Sapientiæ torrente* Astris ipsis dominantem. Typos denique abundantibus, & saluberrimis eruditionibus aspersit, stillas deducentibus Calamis Baptistę Mantuani, Cęlestis Castalii nitidissimi Apollinis; Angeli Capreoli, Baptistę Panetii, Petri Nubilarii, Jo: Marię Verati, Lucretii Tyroboschi, Lactantii Domanini, Ioannis Pauli Donati, Ioannis Petri Chizzolę, Petri Thomę Saraceni, Seraphini Georgii, & plurium aliorum Immortalitati scribentium, ac sudorum margaritis Æternitatem coronantium. Hisce quoque temporibus pari decore procedens, quasi lucidissimus *Phison* à Paradiso terrestri de sinu *sui Patris* discedens, tot fulgidas gemmas, quot pios Viros, tot aureos Partûs, quot eruditos Doctores producit; & vitalibus Sapientię rivulis Ecclesiasticum solum impinguans, ad Glorię metas, in Paterno iterum gremio felici quiete terminaturus, progreditur; & tali splendore progreditur, ut ex ore Clementis X. Pontificis Maximi, de meo proprio auditu, *Gemmarum Cumulus* appellari meruerit.

Habetis, Adolescentes Carmelitę, in hoc MVSEO illustri à SIMVLACRA, nobilibus tanti Fluvii fœcunditatibus, *optimo* nempe scientiarum *auro*, humilitatis obscuro *bdellio*, morumque candoris *onychinis lapidibus* exornata. Pretiosas igitur Undas libenter haurite; *bibite* abundanter Exempla, & in Domino *inebriamini, charissimi*; & utinam tandem vobis fiant *Fons aquæ salientis in vitam æternam*.

S

XV

SACRI MUSEI
MANTVANÆ CONGREGATIONIS CARMELITARVM
ATRIUM
INSIGNIORIBUS S. PATRIS
HELIÆ
TROPHÆIS EXORNATUM.



XVI

SACRI MUSEI
ATRIUM.



Zelantiſsimi Patris Heliæ Numen invocatur.

Alluditur ad Nomem Heliæ, *quaſi* Helios; *ad Fontem ipſius, Caſtalio æquiparatum ; & ad montem Carmelum, Parnaßum figurantem.*
Obſecro ut fiat in me duplex ſpiritus tuus. 4.Reg.2.

TV *Sol*, *Fons*, *Vates*, *Carmeli* protege Carmen;
Spiritus & ſacrâ ſit ſibi *Veſte duplex*.

Deprecatio ut paterno amore Muſeum illuſtrare dignetur.

Alluſio ad Patrum Sapientiam in hoc Muſeo contentam; ad eorum candidum Pileum Heliano Pallio conformem; ad Heliam Sole figuratum; nec non ad Stellam Mercurij Soli ſemper propinquam in ſuo motu, quæ nihilominùs combuſtionem non patitur; unde Mercurius pileatus effingitur.
Alia claritas Solis, & alia claritas Stellarum. 1. Cor.44.

OFfero *Mercurium*, *nitidus* quem *pileus* ornat;
Sol pie, dilectum, *proximus igne*, fove.

Vt S. Pater, adhuc vivens, Filios vita functos benignis oculis in hoc Museo respiciat.

Corpora ipsorum in pace sepulta sunt, & Nomen eorum vivit. Eccl. 15.

QVi *Pater* es *vitæ*, radium, *Sol*, funde sepultis;
Et *Sobolis* tecum fama superstes erit.

Ex duplici protectione Sanctiss. Virginis, & B. Patris Heliæ pax vera Carmelo.

Helias, Solem præseferens, vidit nubeculam parvam, quasi vestigium hominis, ascendentem de Mari contra Carmelum. 3. Reg. 18. *Arcum meum ponam in nubibus*. Gen. 9. *Hoc erit signum tibi, & cunctis Carmelitis privilegium &c.* Sacratissima Virgo ad B. Simonem in Lectionibus ejusdem S. Simonis à Sac. Rit. Cong. approbatis.

SOl vibrat hinc radios, hinc surgit roscida *Nubes*;
Jam, *Carmele*, tibi pingitur *Iris* amans.

Eadem duplici protectione fovente, & illustrante, nil tenebras, & gelu invidiæ timet Carmelus.

Alluditur ad Pallium ab Heliâ relictum; ad Scapulare Sacratissimæ Virginis, & ad Nomen Heliæ, quasi Solem *indicans*. *Verbum ipsius quasi facula ardebat*. Eccl. 48. *Quasi Aurora consurgens*. Cant. 6. *Non extinguetur in nocte lucerna ejus*. Prov. 3.

SIC FATVR CARMELITA.

SI *dupla* me *Vestis*, si *Sol*, si *Aurora* tuentur,
Nox gelida invidię quę mihi damna ferat?

Sub eadem triumphat Carmelitana Religio.

Sunt ſupra Carmelitarum Inſignia, Brachium manu igneum enſem perſtringens, & Corona duodecim Stellarum.

Zelo zelatus ſum pro Domino Deo exercituum. 3. Reg. 19.

SIderibus cinctus, Carmeli fulgurat *Enſis*;
Sunt *Ducis* invicti *pugna*, *corona* ſimul.

Sub Patris patrocinio tuti Heliades à vulneribus conantium deſtruere originem ab Helia.

Sub Junipero *excutitur ab Angelo, & ſubcinericio pane reficitur.* 3. Reg. 19.

CARMELITA IN PATRE QVIESCENS, SIC AD INSIDIOSVM.

PUnge, minare necem, ſis, Invide, Jezabel; ecce
Sub *ſpinis Requies*, *Vitaque ſub cinere.*

In Patris tutamine Filii confidunt.

Helias inter ſplendores montis Thabor apparuit Diſcipulis. Matth. 17.
De Monte ignem immiſit in Hoſtes. 4. Reg. 1.
Vox Domini intercidentis flammam ignis. Pſ 28.

CARMELITÆ AD HELIAM.

HOſtis, Amans, de Monte cremas, in Monte coruſcas;
Splendor Diſcipulis, Hoſtibus *ardor* eris.

Obloquentium conatus deridentur.

Eunuchi pręcipitaverunt Jezabel. 4. Reg. 9.
AD GLORIABVNDVM MALEDICVM.

FOemina siste loquax robur jactare virile;
Te dare præcipitem *Semi-vir* ipse valet.

Sanctus Pater erit ultor pro Filiis.

Equorum ungulæ conculcaverunt Jezabel. 4. Reg. 9. *Ecce currus igneus, & equi ignei.* 4 Reg. 2.
AD NIMIS ARDENTEM OBLOQVVTOREM.

HEliadum calcare decus ne fervidus aude;
Nam Pater *igni-vomis* Te premet æquus *Equis*.

De Hostibus triumphat invictus Helias.

Si Dominus est Deus, sequimini eum; si autem Baal, sequimini &c. Apprehendite Prophetas Baal, & ne unus quidem effugiat ex eis. 3. Reg. 18. Baal significat: *Dominus*. Helias interpretatur: *Deus Dominus*.

AN Baal Heliam, verum fraus improba vincet?
Turba cadat *dominans*; ecce *Deus Dominus*.

A S. Patre, ac Pastore Grex Carmeli ardenter defendetur.

Helias *quasi* Helios. *Jezabelis Cadaver canes devoraverunt*. 4. Reg. 9.

PHœbus adest Gregibus; nihil invida frigora curent;
In *Cane* nam fervens, destruet ipse gelu.

B.Pa-

B. Pater erga se malè affectos malè perdet.

Duo Eunuchi præcipitaverunt Jezabel *de Fenestrâ.* 4. Reg. 9. *Verbum ipsius quasi facula ardebat.* Eccl. 48.

AD DETRACTOREM.

NOctua, si à *faculâ* tam clari *Solis* abhorres,
Aufert ipsa tibi jure *Fenestra* diem.

Imploratur ejus paternus amor, & zelus.

In visione Sobac Genitoris infans Helias igne cibatur pro lacte. S. Epiphanius de Vitis Prophetarum.

CARMELITA AD S. PATREM.

EST tibi *flamma* cibus; fac viscera Patris amantis,
Filius in gremio sitque pyrausta tuo.

Vt Filiorum salutem curet.

Cernit Genitor in eâdem visione Viros niveum præseferentes Habitum, qui Heliam infantem salutabant. Idem S. Epiphanius de vitis Prophetarum.

FILII AD PATREM.

REdde salutatus, Natis, Pater alme, salutem;
Pande salutis iter, sic resalutet amor.

Vt prosperè Filios in hoc pelago dirigat.

Pallio divisit aquas Jordanis.4.Reg.2. *Ex Pallio duplex Spiritus.*4.Reg 2.

AD EVNDEM B. PATREM FILIVS CARMELITA.

SCindit *Vestis* aquas, & Cœli *duplicat auram*;
Tu longè à scopulis Nos, pie Nauta, rege.

Vt

Vt Sanctus Viator Filios protegat in die Iudicii.

Reliquit pallium Elisæo, & curru igneo raptus est in Cœlum. 4. Reg. 2.

S. PATREM ROGANT CARMELITÆ.

NOs tege *Veste* tuâ, Nos cela Judicis irę;
Arceat hostiles *Flamma paterna* focos.

Vt ad Cœlum Empyreum Natos tollat.

Oravit ad Deum, & ignis de Cœlo voravit holocaustum. 3. Reg. 8.

AD B. PATREM SIC FILII.

SCandere flamma solens, ad Te si venit ab axe,
Altior es Cœlis; Nos super Astra leva.

Deprecatio, ut in Cœlum introducat.

Igne de Cœlo dejecto, hostes destruxit. 4. Reg. 1.
Claudens Cęlum, siccitate famem induxit. 3. Reg. 17.
Abundanti pluviâ aridam terram restauravit. 3. Reg. 18.

S. PROPHETAM NATI SIC ALLOQVVNTVR.

IGne, fame, pluviâ, mortes, mala, dona dedisti;
Qui moderas Cœlum, denique pande Tuis.

XIX

Eo favente ſperant Filii divinę gratię plenitudinem.

Degit in terreſtri Paradiſo; & cum Pallio duplicem ſpiritum reliquit. 4. Reg 2. *Emiſit eum Dominus Deus de Paradiſo voluptatis.* Gen. 3.

FILII AD HELIAM.

G*Ratia* per *Patrem Natis* defecit in *Horto*;
Per te ſperatur *Gratia dupla Pater.*

Vt per ipſum antiqua obſervantia reviviſcat.

Ter menſus eſt ſuper puerum. 3. Reg. 17.

BRachia pande, *Pater*, zelo ſis *menſio Natis*,
Et dabis ad *vitam* poſſe redire *novam*.

Admonentur Carmelitę de perfecta Voti Obedientię obſervantia.

Helias dejecit ignem de Cœlo. 4. Reg. 1.
Aridæ terræ pluviam obtinuit. 3. Reg. 18.

PAreat, ut pariat Cœleſtia, cœca voluntas;
Dat flammam, dat aquam, Patre jubente, Polus.

De perfecta voti Castitatis observantia.

Helias Virgo, farinâ cibatus, ipsam multiplicat. 3. Reg. 17.

AD CARMELITAM.

P Asce Patris Zelum, mentisque *albedine* nutri;
Gratus *candorem* crescere *Virgo* dabit.

De perfecta paupertatis, & vitę communis observantia.

Dum rapitur, Pallium tradit Discipulo: & vivit in terrestri Paradiso. 4. Reg. 2.

V Ivit adhuc, propriis & *Natum Vestibus* ornat;
Communem Vitam diligit ecce *Parens*.

Vt ad vocationem Helię Carmelitæ mundanis affectibus abrenuncient.

Relictis bobus cucurrit post Heliam. 3. Reg. 19.
Ego Flos Campi. Cant. 2.
Omnis, qui reliquerit &c. aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Matth. 19.

AD CARMELITAM.

F *Los* aderit *campi*, fructum si tempseris agri;
Quin tibi *Flos* tantus *centupla* messis erit.

Vt

A' Sancto Patre discant Filii modum approximandi Deo.

Post grandem commotionem, ignem, & sibilum auræ tenuis, Deus eum alloquitur. 3. Reg. 19.

COmmovearis, *ames*, mittas *suspiria* corde;
Post *motum*, *ignem*, *auram* certus habere Deum.

In adversis ad B. Patrem recurrant.

Numquid, non est Deus in Israel, ut eatis ad consulendum Beel-zebub Deum Accaron? 4. Reg. 1.

AD FILIVM CARMELITAM.

SI vexat Mundus, quid Mundo fidere? *Vatem*
Consule; *consilium* nam dabit ipse *Patris*.

Sub Helia undique pax, & tranquillitas Carmelo.

Arca pace fruitur supra Montes Armeniæ; ad quam Columba cum ramo virentis Olivæ. Gen. 8.

Helias multiplicavit oleum, nec lecythus olei defecit, usque ad diem, in quâ Dominus dedit pluviam super faciem terræ; unde post multiplicationem pax cum Achab. 3. Reg. 17.

A*Rmeniæ Montes*, *Carmeli* cedite *ramo*;
Pax venit ex fructu *multiplicata* suo.

Ejus

Sub protectione Virginis, & Heliæ uſque ad diem Iudicii perſeverabit Carm. Religio.

Helias uſque ad finem Mundi manebit in Paradiſo terreſtri ad plagam Orientalem.

Quæ eſt iſta, quæ progreditur, quaſi Aurora conſurgens? Cant. 6.

Confidito Petre, Religio Carmelitarum in finem uſque ſæculi eſt perſeveratura; Helias namque ejus Inſtitutor, jam olim etiam à Filio meo id impetravit. Sac. Rit. Cong. in Lectionibus S. Petri Thomæ.

C*Armelo* ſtat longa dies; *Aurora* beata
Preſidet, & ſemper *Sol Orientis* adeſt.



SACRUM MUSEUM

Mantuanæ Congregationis Carmelitarum.



P. FRANCISCUS THOMAS de Francia 1425.

Unus ex primis fundatoribus Congregationis in obſervantiâ Sylvarum, & primus Præſidens Generalis. Fuit inter cæteros zelo, & integritate præcipuus.

Verbum ipſius quaſi facula ardebat. Eccl. 48.

ME *Pater* incendit, *renovor* ceu Flammiger Ales;
Florida Sylvarum ligna fuere rogus.

Aliud.

Naſcentis Congregationis, ex tribus Sylvarum, Mantuæ, ac Girundæ Conventibus compoſitæ, Dux primus.

Ad Sydus aviti Stemmatis ipſius Patris, & ad illud: Ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in Splendore ortus tui. Iſa. 60.

TVtior ad Chriſtum properat *Sapientia Trina*;
Nam ſibi *Stella* micans ex *Oriente* præit.

Aliud.

Exemplarissimum, & zelantissimum Caput Congregationis.
Lucernæ ardentes in manibus vestris. Luc: 12.

QVod doceo facio; dico, sed comprobo gestis:
Emicat *ardenti lampade* nostra manus.

P. GIGUS DE FRANCIA
Præsidens Generalis 1427.

Paterni zeli imitator, pro antiquâ renovandâ observantiâ multa Sanctè ordinavit.

HEliæ reficit Regnum, legesque paternas;
Divisum imperium cum Patre natus habet.

Aliud.

Frequentem cultum Ecclesiæ, morum puritatem, & habitus modestiam summopere curavit; diminuens vestes, & cingulum paruum coriaceum præscribens.
Sicut modo geniti Infantes, sine dolo lac concupiscite. 1. Pet. 2.

EDucat Infantes, præbent Altaria Cunas,
Lactat amor purus, *Fascia parva* ligat.

P. IO:

P. IOANNES DE VIENNA
Præsidens Generalis 1429.

Orationis Mentalis, Chorique diligentissimus cultor.
Vos estis lux Mundi. Matth. 5.

IRradiat mentes, ad cantum provocat ora,
Et *Sylvas* decorans, pascit *Apollo* Gregem.

Aliud.

In Dei cultu ferventissimus, multos aufert abusus; vetat præcipuè, cum magnâ severitate miram dulcedinem conjungens, deambulationes, & inutilia colloquia in Ecclesiâ.

TEmpla pius mundat, placido Christique rigore
Funes Funiculos, flagra flagella vibrat.

P. RUBINUS DE FRANCIA
Præsidens Generalis 1433.

Veteris Instituti vigilantissimus restaurator.
Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est Regno Dei. Luc. 9.

PRisca colo, Christumque sequor, mirandaque presto;
Nam, *retrò aspiciens*, aptus aratra rego.

Aliud.

Prohibuit quæcumque ſerica ornamenta in veſtibus, & laneum birretum præſcripſit.

Neſcitis, quoniam corpora veſtra Membra ſunt Chriſti. 1.Cor. 6.

PATER NATOS ALLOQVITVR.

VEſtiat heu *Vermis*, Clauſtrorum putrida membra;
Vos, pia *membra* Dei, pura reformet ovis.

Aliud.

Juſſit ſub gravibus pænis, ut nocte, dieque inviolabiter Fratres Habitum paruum Sacratiſſimæ Virginis ad collum deferrent.

Jugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Matt. 11.

ITA PATER FILIIS PRÆCIPIT.

PEndeat à collo ſemper dulciſſima Mater;
Hoc vobis, Nati, pono ſuave jugum.

P. IOANNES DE FONTE
Præſidens Generalis 1435.

Pijſſimus Paſtor, ut internam ſubditorum puritatem magis excitaret, delationem continuam Capparum albarum in Choro præcepit; & Divinum cultum ſummopere auxit.

Paſcitur inter lilia. Cant. 2.

IN̄ *Sylvis* pietas lactat *candore Tonantem*;
Creſcit & inter Oves paſtus amore Deus.

Aliud

Aliud.

[redacted], & gratissimus Præsul; tali veneratione prosequutus, ut quidquid præciperet, subditi cæcâ prorsus obedientiâ exequerentur.

Nemo potest duobus Dominis servire. Matt.6.

GRex uni servit, mirè servitque duobus;
Nam Deus in recto Præsule semper adest.

P. MAURITIUS DE GIRUNDA
Præsidens Generalis 1437.

Rigidus zelo, sed amatissimus Superior; mirâque suavitate animos lucrabatur; extitit singularis pietatis in Virginem.

Præbe, Fili mi, cor tuum mihi. Prov. 23.

PEr *Syluas Maurus* jaculis armatur amoris;
Cordaque venanti vera *Diana* favet.

Aliud.

Decrevit, ut quilibet Frater inviolabiliter associatus exiret à Monasterio.

Alluditur ad margaritarum proprietatem, quarum duæ, (teste Plinio) *nunquam repertuntur discretæ; unde nomen* unio.

U*bi sunt duo congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Matt.18.

Simile est Regnum Cælorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas. Matth. 13.

ITA PATER AD FILIOS.

ADsit ut in medio Christus, procedite bini;
Vos cupit *unitos candida gemma Poli.*

B. PA-

B. P. ANGELUS AUGUSTINUS, unus ex primis Fundatoribus 1438.

Maximo in Virginem amore floruit. Rosas ore profundens pingebatur.

Monstra te esse Matrem. Hymn. Eccl.

SVm *roseus*, *matrizo*; manet *Rosa Mystica* cordi;
Inserta hæc animo, germen ab ore parit.

Aliud.

Ejus Imago rosis coronata exprimebatur; Christi passionem incessanter meditabatur, & Crucifixum semper ad collum appensum suprà pectus gestabat.

Christo confixus sum Cruci. Gal. 2.

ANne *rosas* referet, Christo spinasque reliquet?
Ah sentit Christi vulnera pectus amans.

Aliud.

Fuit omnibus virtutibus heroicè insignitus, & antiqua observantia per ipsum præcipuè revixit. Vulgò *Beatus Angelinus* nuncupabatur.

CLaustri Vita fuit; *minuunt* sibi *nomina* magno;
Angelicæ elixir nam bonitatis erat.

P. GVIL-

P. GVILLELMUS DE FONTE
Præſidens Generalis 1439.

Ad Cognomen, zelum, puritatem, & ad Sanctiſſimum Nomen Mariæ, erga quam peculiari devotione flagrabat; nil dicens, ſcribens, aut operans, niſi præmiſsâ Ejus invocatione, in quâ
Gratia omnis viæ. Eccl. 24.

PAtrem ſemper amor movit, traxitque *Mariæ*;
Quàm benè *Fons* currens, in *Mare purus* abit.

Aliud.

Ad integerrimum, ac zelans gubernium,& ad cognomen.
Sedebat ſic ſupra fontem &c. Jo. 4.

GRex properat ſitiens, & *vivas* imbibit *undas*;
Nempe ſuper *Fontem Chriſtus* amore *ſedet*.

P. MAURITIUS DE VALESIO
Præſidens Generalis 1441.

Fuit ultimus gaudens titulo Præſidentis. Pro ſuſtinendâ obſervantiâ tum amore, tum rigore maximè laboravit; & multas pro tuendâ Congregatione intrepidè ſuperavit oppoſitiones.
Inſta opportunè, importunè; argue, obſecra, increpa in omni patientiâ, & doctrinâ; in omnibus labora, miniſterium tuum imple. 2. Tim. 4.

ERigo, duco, traho, ſtimulo, rogo, pugno, laboro;
Pro Grege nil ſedeo, ſic benè *præſideo*.

Aliud

Aliud.

Rigorosè vetuit, ne Fratres unquam morarentur in Portâ Conventus, vel Ecclesiæ; sed religiosam solitudinem diligerent.

Simile est regnum Cælorum thesauro abscondito &c. Matt. 13.

Clauso ostio ora patrem tuum in abscondito Matt 6.

Adversum me loquebantur, qui sedebant in Portâ. Ps. 68.

PATER SIC FILIOS HORTATVR.

C*Oeli Regna latent*; in Cœlis quærite Christum;
Dat benè Cella loqui, dat malè Porta loqui.

P. PETRUS STEPHANUS de Francia primus Vicarius Gen. 1443.

Fuit pius, & amantissimus Pastor; & sui nominis Apostolum sequens, assiduè, summoque ardore Dei amorem, ac Fraternam Charitatem suadebat.

In his duobus mandatis universa lex pendet, & Prophetæ. Matt. 22.

Ante omnia mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes, 1. Petr. 4.

LEx sibi solus amor; jus totum complet amore;
More dat, ore jubet; clamor amantis, amor.

Aliud.

Septuagenarius, sed vigilans, & ferventissimus Præsul, zelum, & charitatem in Filijs mirè propagavit.

Alluditur & ad nomen Stephanus *significans* Coronatus.

Corona Senum Filij. Prou. 17. *Gaudium meum & corona mea*. Phil. 4.

QValis regnet amor, puri Vos dicite Nati;
Gaudia Vos estis, Vosque *corona Senis*.

P. AN-

P. ANTONIUS DE FONTE
Vicarius Generalis 1445.

Fuit Superior ſapientiſſimus, ac doctiſſimus; & paterni zeli imitator.
Ad Cognomen, Fontem Eliæ, Congregationis originem, & Ovilis propagationem: *nec non ad obſervantiam* Sylvarum.
Scientia ſapientis tamquam inundatio abundabit;& conſilium illius, ſicut Fons vitæ. Eccl. 21.

F*Ons de Fonte* fluit; Sylvas rigat , auget, & implet;
Paſcua jam pinguent; fructificate Greges.

Aliud.

Omnibus cariſſimus, & in mente omnium jam prædefinitus, univerſali applauſu eligitur in Vicarium Generalem. Ex ſolâ purâ neceſſitate permittebat exitum Fratrum è Conventu, & ingreſſum ſæcularium ad ipſos; ſolitus dicere, *Fratrem extrà Conventum eſſe Piſcem extrà aquam, & cum Sæcularibus quaſi ſtipulam iuxtà ignem*
Alluditur ad Hortum concluſum, & fontem Signatum Canticorum.4.

F*Ontem ſignat* amor; *concludit* Zelus & *Hortum*:
Quam benè ſervantur potus, & eſca Gregi!

Aliud.

Internas, & graves Congregationis commotiones prudentiſsimâ vigilantiâ ſedans, dulce levamen, & optatam ſalutem ſuis Gregibus attulit; publicam verò quietem perturbantes tali pectore, taliq; zelo repreſsit, ac deterruit, ut ejus aſpectum exhorrentes, à Congregatione receſſerint.
Ad Moyſis Virgam alluſio.

V*Irga Ducis* reficitque Greges, terretque rebelles;
Exhibet hæc *Fontem*, vertitur in *Colubrum*.

P. IOANNES HUS
Vicarius Generalis 1447.

Fuit Vir religiosissimus, & zelans pro animarum salute.
Alluditur ad Nomen Ioannis Apostoli, & ad illud:
Post hæc vidi, & ecce Ostium apertum in Cælo Ap. 4.

CEllula fit *Patmos*; penetrat, rapit, edocet alta;
Ostia sic *Cœli* monstrat aperta Gregi.

Aliud.

Justum, sed suavissimum fuit ejus gubernium; unde multi, qui ab observantiâ recesserant, resipiscentes, ad Congregationem redierunt.
Surgam, & ibo ad Patrem meum &c. Cecidit super collum ejus. Luc. 15.

VIncit amor natum; subdit frons læta gementem;
Et Patris imponunt brachia dulce *jugum*.

P. PETRONIUS DE JACOBIS
à Bononia 1458.

Sanctam Crucem semper in manibus deferebat; hoc signo Dęmones fugabat; assiduè Sacratissimam Passionem meditabatur; jejuniis, ciliciis, & disciplinis corpus domabat, Crucem deosculans, efflavit animam.
Mihi autem absit gloriari nisi in Cruce Domini Nostri Jesu *Christi.* Gal. 6.

VInco per arma Crucis, tetri Cruciator Averni;
Crux mihi vita fuit, Crux mihi *scala* poli.

Aliud

Aliud.

Ad vitæ innocentiam, religioſæ obſervantiæ integritatem, & ejus Cognomen, *plantam*, ſeu *veſtigium* ſignificans.
Viditque in ſomnis ſcalam, & cacumen illius tangens Cælum. Gen. 28.

MEnte Deo vigilat, mundo ſed dormit Jacob;
Semper adeſt *plantæ ſcala* parata poli.

Aliud.

Sacratiſsimæ Crucis fervidiſsimus Amans, ipſam continuò ab ingreſſu Religionis enixè coluit, & ejus venerationem ſummo zelo promovit; multos indè poſt annos, præ ingenti dilectionis impulſu, ſecum ſemper eandem, vel ad pectus, vel in manu deferre cæpit, quam ſæpius intuendo, ſpirituales conſolationes experiebatur.

PUlchra fuit *Rachel Crux*, quam dilexit *Jacob*;
Servijt iſte diu; denique *Sponſa* datur.

Aliud.

Crucifixum, quem apud ſe retinebat, fixis oculis paſsim intuens, Chriſti tormenta extaticè contemplabatur. Videns aliquem Fratrem vel leviter errare, eandem Crucem oſtendens, ipſum zelanter corrigebat, ne paulatim gravia committeret.
Quid vides Feſtucam *in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides?* Matt. 7.

ISte oculus meritò *Feſtucas* Fratris abhorret;
Nam ſolas nitidæ fert *Crucis* ipſe *trabes*.

Aliud.

Exemplarissimus Vir; ob morum sanctitatem summopere in Patriâ veneratus, & multos convertens peccatores.

Alluditur ad Nomen P. & ad Diuum Petronium Episcopum, qui Bononiam ampliavit, & Sacris Ædificijs adauxit.

Charitas ædificat 1. Cor. 8.

Qui prævaluit amplificare Civitatem, qui adeptus est gloriam in conversatione gentis. Eccl. 50.

FElsineam renovat, sacratque *Petronius* Urbem;
Aedificat Ci-ves altera *Petra no-vos.*

P. Mag. JULIANUS DE BRIXIA Vicarius Generalis 1465.

Theologus Profundus, doctissima scripsit. Multas æquo animo passus est, & superavit persecutiones.

Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est Regnum Cælorum. Matt. 5.

MEnte vias Cœli peragro, malè visus in Orbe;
Odia, quæ tentant perdere, stulta beant.

Aliud.

In persecutionibus semper hilaris, & constans.

Alluditur ad Virgines, quæ invenerunt sponsum, dum mediâ nocte clamor factus est. Matt. 25.

HÆc anima exultat, tenebris licet undique pressa;
In mediâ *sponsus* nam sibi nocte venit.

Aliud

Aliud.

Tenens manibus, & deosculans Crucifixum, ac proferens illa verba: *Tu es protector meus, & liberator meus,* piè moritur.

Tollat Crucem suam, & sequatur me. Marc. 8.

PATER MORIENDO SIC LOQVITVR.

SI dat terra Cruces, tua Crux si tollit ad astra,
Jam *Cruce*, Christe, meâ Te, moriendo, sequor.

P. ANTONIUS DE FRANCIA
Vicarius Generalis 1467.

Ad vitæ sanctimoniam, paternum zelum, & gratos sermones, quibus subditos ad pietatem mirabiliter excitabat.

Donec dies illucescat, & Lucifer oriatur in cordibus vestris. 2. Pet. 1.

G*Allus* in occidui sequitur vestigia *solis,*
Dux vigil æternos & vocat ore dies.

Aliud.

Prescripsit modum tutum, & facilem pro œconomicâ fidelitate servandâ; librosque Chori emendavit, refecit, & auxit.

PErficit Œconomus Libros Claustrique, Polique;
Sic notat in *Supero* credita dupla *Libro*.

P. LUDOVICUS de CREMONA
Vicarius Generalis 1469.

Vir solitarius, & pius.

INcolo mente polum, mundi lætissimus exul:
Dulcis amor Patriæ, dulce videre Deum.

Aliud.

Religiosæ quietis amator, renunciat dignitati, ut liberè Christo servire possit; sed adhuc ab ejus prudentissimo judicio, & auctoritate tota pendet Congregatio, quæ tunc ex duodecim Conventibus componebatur.

Alluditur ad Apostolos, quibus, omnia pro Christo relinquentibus, dictum fuit. Sedebitis &c. judicantes duodecim tribus Israel. Matt. 19.

OMnia linquit Amor, mercedis & incipit umbra;
Cunctas Carmeli judicat ipse Tribus.

P. Mag. THOM. de CARAVAGIO
Vicarius Generalis 1471.

Præclarus Theologus. Pro regulari disciplina piissima statuta conscripsit, quibus B. Archangelam de Tridino instruxit, eamque à Parmensi Monialium Conventu ad fundandum, & dirigendum Mantuæ Monasterium traduxit, in quo Claustralis perfectio summopere floruit. Purissimis moribus præditus fuit.

Allusio ad D. Thomam Aquinatem, cui Christus dixit: Benè scripsisti de me Thoma; Ad Patris Nomen, doctrinam, & puritatem.

CÆlica dat scriptis; Archangela, Claustra reguntur;
Sunt *Thomæ Angelici* grataque *scripta* Deo.

Aliud

Aliud.

Numquam permisit subditos extrà Conventum pernoctare; & vetuit exire horis meridianis ante Vesperas.

Tamquam Leo rugiens circuit, quærens quem devoret. 1. Pet. 5.
A timore nocturno, ab incursu, & Dæmonio meridiano. Ps. 90.

RVgit nocte Leo, peragrat medioque diei;
Pastor amans, dubio tempore, claudit Oves.

P. MARTINUS DE BERGOMO
Vicarius Generalis 1473.

Multoties, & in adversis strenuissimè sustulit onus Congregationis. Modestissimas vestes gerebat; prohibuit in virtute S. Obedientiæ delationem Capparum ex sargiâ molli, aut mangano pressâ; & cessit senio confectus.

Alluditur ad verba D. Martini: Domine si adhuc Populo tuo sum necessarius, non recuso laborem. Sac. Rit. Con. in festo S. Martini.

MIlito, sum Pastor, nullumque recuso laborem;
Christum Martinus, me pia Virgo tegit.

Aliud.

Vir zelans, & integerrimus. Per multum tempus sive gubernio, sive consilio sanctissimè rexit Congregationem. Fuit nonagenarius; & cœlestem propemodum vitam duxit.

Præcepta mea cor tuum custodiat, longitudinem enim dierum, & annos vitæ apponent tibi. Prov. 3.

CVra, laborque Senis magno sub pondere durant;
Nam Cœli vitam mors resecare timet.

P. Mag.

P. Mag. GVILLEMUS de BURGO Vicarius Generalis 1477.

Apoſtolicus Concionator, Præſul affabilis, ac ſummi Amoris, & charitatis in ſubditos.

Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri. Matt. 10.

A *Patre Verbum; a Patre*, ac *Verbo* eſt *flamen* amoris;
Hic *Pater* à tanto *Flamine verba* tulit.

Aliud.

Piiſſimus Præſul, & in excitandis ad Divinum amorem fidelibus efficaciſſimus Præco.

Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in Vobis. Matt. 10.

F Lamine plena Poli, vox Patris gignit amores;
Donat & ore Deum, qui tenet ore Deum.

Aliud.

Fuit digniſsimus Superior; moritur Ferrariæ in officio; Ejus effigies ære inciditur; & in hominum memoriâ adhuc vivit.

Poſſide Sapientiam, quia auro melior eſt. Pro. 16.

A Urea cœpta dedit, rapiunt Hunc *Ferrea* Fata;
*Aera*que reſtituunt: vivere dignus erat.

P. Mag.

P. Mag. ANGELUS CAPREOLUS de Brixia Vicarius Generalis 1479.

Ad ejus ſingularem ſapientiam, & purgatiſsimas doctrinas; ad Librum inter cæteros typis demandatum, *STELLA* inſcriptum, & ad Nomen.

PVra docet, dat clara typis, illuminat orbem;
Angelus & lucis *ſidera* mente movet.

Aliud.

Paſtor, quantùm doctiſsimus, & ſummæ famæ, pari modo humillimus, & probus. *Ad Nomen ANGELVS, ad lapſum Luciferi, & ad eundem librum cum titulo STELLA.*

Quomodo cecidiſti de Cælo Lucifer, qui mane oriebaris? Iſa. 14.

L*Vcifer* en ſapiens; humilis nec decidit umquam;
Eſt opere, & calamo *Stella* Diana Gregis.

B. BAPTISTA HISPANIOLUS Mantuanus Vicarius Gener. 1483.

Antonomaſiâ TER MAXIMVS. Apud Auctorem ſervatur argenteum numiſma cum ejus imagine, ac prædictâ inſcriptione TER MAXIMVS. In omni genere ſcientiarum, ac Artium liberalium verſatiſsimus, & Doctor Bononienſis. Fuit Sanctiſsimæ Domus Lauretanæ primus Cuſtos.

Tripliciter Sol refulgens, radijs ſuis obcæcat oculos. Eccl. 43.

CArmine, ſuggeſtu, Cathedrâ *Ter maximus* adſum;
Clauſtri Phœbus eram; *Laurea* Virgo fuit.

Aliud.

Fuit Theologus, & Confessarius Ioannis secundi Bentivoli per illud tempus, quo Pater Bononiæ permansit in Conventu S. Martini Majoris.
Ad Utriusque Nomen.

J*Oanni* o semper junctus *Baptista* fuisset!
Cœlica *Præcursor* jussa dedisset amans.

Aliud.

Corde apertus, & candidus, Principibus carissimus extitit. Fuit Pictor, & Poeta; sed in utroque modestus, & pius.
In simplicitate, & sinceritate Dei, & non in sapientia carnali, sed in gratiâ Dei conversati sumus. 2. Cor. 1.

LVx venit ex *umbris*; ad Christum fabula ducit;
Nam manus, os fingunt, fingere corda negant.

Aliud.

Humillimus, & solitus dicere cum Psalmistâ: *ego sum vermis & non homo*. Ejus Corpus integrum in Ecclesiâ Carmelitarum Mantuæ servatur.

Qui se humiliat exaltabitur. Luc. 14.

ME reputo Vermem, sed fundit Corpus odores;
Balsama virtutum non timuere necem.

Aliud

Aliud.

Fuit Generalis totius Ordinis Carmelitarum; pluries Vicarius Generalis Congregationis, & in zelantiſsimo Gubernio ſummopere laboravit. Honorificè requieſcit ejus Sacrum, & pulcherrimum Cadaver ad dexteram Altaris Beatiſsimæ Virginis.

Numquid obliviſcetur Virgo ornamenti ſui. Ier. 2.

DVLCISSIMA MATER PRO TOT LABORIBVS GRATA, ILLVM ANIMAM EFFLANTEM ALLOQVITVR.

SIs meus in Cœlo, in *Terris*, cariſſime Fili;
Quæ Tibi *cura* fui, nunc ero grata *quies*.

P. PEREGRINUS DE REVERO 1485.

Tantâ integritate, exemplo, & utilitate gubernavit, ut per honorificum Breve Apoſtolicum, ſuas exprimens laudes, Prior perpetuus Reveri creatus fuerit; humilis recuſavit, ſed Patrum Diffinitorum precibus coactus, munus laudabiliter ſuſtinuit.

PRæſulis ad Regimen geminant *Vrbs*, Clauſtraq; laudes;
Mens *peregrina* regit, laus *peregrina* datur.

P. Mag. BAPTISTA PANETIUS de Ferraria Vicarius Gener. 1485.

Sublimis Theologus; eximius Concionator; Poeta elegans, & eruditus.

Lingua ſapientum ornat ſcientiam. Prou. 15.

ALta petens, ſermone potens, muſâque decorus,
Sum Plato, ſum Cicero, Virgiliuſque ſacer.

Aliud.

Ex pecuniâ pijs laboribus acquisitâ insigne prædium pro suo Conventu, paulò antequàm moreretur, conquisivit.

Et misit Seruum suum horâ cœnæ dicere invitatis, ut venirent &c. primus dixit ei. Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam, rogo te, habe me excusatum. Luc. 14.

PATER COELO INHIANS CHRISTVM ALLOQVITVR.

VIllam emi, sed, *Christe*, Tibi; invitatus & adsum;
Perpetuum victum nam mihi *Cœna* dabit.

P. BARTHOLOMÆUS de Fantis à Mantua 1490.

Fuit pietate, & patientiâ conspicuus; zelantissimus; purissimus; & dono prophetiæ dotatus.

Alluditur ad illa verba: Tradidit illis bona sua: Uni dedit quinque talenta, alij autem duo &c. Matt. 25.

ESt Pius, est patiens, Zelator, Virgo, Propheta;
Tradidit huic Nato quinque talenta *Pater*.

Aliud.

Summo amore, ac hilari vultu afflictos animos solabatur, Concivem amicum maximis angustiis obstrictum à desperatione solo aspectu removit; Oleo lampadis ante Sacrum Corpus ardentis multi sanati sunt; quidam præcipuè vulneratus ad mortem, inunctis vulneribus, illicò curatus est ita, ut nec cicatrices remanerent. *Ex Processibus Episcopatus Mantuæ.*

Unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. Ps. 43.

FErt *Oleo* duplici geminæ medicamina plagæ;
Lætitiâ mentes, *lampade* membra juvat.

Aliud.

Deo animam reddere voluit Monachali Habitu indutus.
Simile est Regnum Cœlorum Homini Regi, qui fecit nuptias Filio suo &c.
Quomodo hùc intrasti non habens vestem nuptialem? Matt. 22.
Hoc erit signum, quòd in hoc piè moriens, æternum non patietur incendium.
Sac. Rit. Congregatio in Lectionibus S. Simonis Stoch.

PATER MORTI PROXIMVS ITA LOQVITVR.

ME *Rex* invitat; spero *con-vi-via* Cœli;
Gratâ etenim *Sponso Veste* paratus eo.

Aliud.

Ejus Corpus incorruptum, & palpabile servatur Mantuæ.
Vbi est Mors Victoria tua? 1. Cor. 15.

MAntua quod genuit, venerans nunc Corpus *adorat*;
Et vitæ integritas integra membra tenet.

Aliud.

Requiescit in Ecclesiâ Carmelitarum à parte lævâ Altaris Beatissimę Virginis de Monte Carmelo, erga quam vixit summopere devotus, & multis insignibus gratiis ab ipsâ fuit decoratus.
A dextris est mihi ne commovear. Ps. 15.

VIrgo animam rexit, purum corpusque reservat;
Cordi stat natus, jure sinistra datur.

B. JOANNA SCOPELLI de Regio Monialis 1490.

Hæreticum orationibus, & rationibus convincit; ciliciis, ac Disciplinis corpus domat; frequentes diabolicas illusiones superat; ejusque sacrum Corpus in Ecclesiâ Monialium Regii incorruptum servatur.

Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra. 1. Io. 5.
Est nobis colluctatio adversùs carnem, & rectores tenebrarum harum. Eph. 6.

HÆreticum supero; sensum premo, Tartara vinco;
Spiritus in Cœlo, Corpus in Orbe nitet.

Aliud.

Satanam visibiliter eam minantem signo Crucis fugavit; Ejus dexterum brachium ad infirmos delatum varias curat ęgritudines, & in Patriâ summâ Veneratione colitur.

Tu gloria Jerusalem *Tu lætitia Israel; Tu honorificentia Populi nostri, quia fecisti viriliter.* Iudith. 15.

TArtareum superat, Iudith generosa, Tyrannum;
Hinc populi plausus *Dextera* fortis habet.

PP. MICHAEL, & BENEDICTVS de Herculanis à Bononia 1490.

Eodem tempore Sacrum Habitum sumpserunt, simul vixerunt; & florescenti Congregationi tum exemplo, tum prudentiâ valde proficui extiterunt.

Misit illos binos ante faciem suam &c. Messis quidem multa, Operarij autem pauci. Luc. 10.

D*Iscipuli* sacrum *bini* mittuntur in agrum;
Pluribus Agricolis plurima messis eget.

Aliud

Aliud.

Strenui, ac zelantes Congregationis Defensores.

Meliùs est ergo, duos esse simul; si quispiam prævaluerit contrà unum, duo resistunt ei. Eccl. 4.

NEC HERCVLES CONTRA DVOS.

H*Erculis* unius superat *Vis dupla* vigorem ;
Herculis at *duplicis* vis pia cuncta potest.

P. Mag. VINCENTIUS MARSIUS de Mantua 1490.

Pius, ac elegantissimus Poeta, & eximius Theologus laureâ Sorbonensi decoratus.

CArmine *Marsyaco* demulcet *Marsius* aures;
Quin Phœbum superans, laurea serta rapit.

P. ANTONIUS DE S. AGNETE Ferarriensis 1491.

Otio nunquàm vacavit; & nedum sacris literis insignis extitit, verùm & liberalibus disciplinis ornatus. Fuit peritus Arithmeticus; astrologiâ delectabatur; in describendis,& pingendis Geographicis Chartis fidelissimus; Cantus plani, & figurati fundamenta possidebat; Latium Idioma purgatissimè callens, pius, ac facundus Orator emicuit, & animos efficaci dialecticâ covincebat. Totus itaque Deo, studijsq; dicatus, moribus simplex, corde sincerus, & candidissimus vixit.

COmputat, astra colit, pingit, canit, orat, & infert;
Artibus est dives; cor tamen arte caret.

Aliud.

Ad summum zelum, & humanitatem in gubernio; alludendo præcipuè ad metuendum S. Antonij ignem, & ad flammas, à quibus Diva Agnes illæsa multos ad Christi fidem convertit.

Argue, obsecra. 2. Tim. 4.

COrripit, illustrat flammis, *Antonius, Agnes;*
Tu simul, *igne Patris*, crimina, corda cremas.

P. IOANNES DE BARDINIS à Revero 1492.

Sæpe Superior. *Ad summum zelum in gubernio; ad igneum Currum Patris Heliæ; ad Patriam, quæ iuxta Padum sita est; ad Phaetontem, & ad ipsius Eridani stelliferam figuram.*

FLammigeras *Natus Patris* benè rexit habenas;
Ortu, non *casu*, tollit in *astra Padum*.

B. ARCHANGELA de TRIDINO Monialis 1494.

In Conventu Parmæ Cœlesti disciplinâ educata ita profecit, ut trasmitteretur ad statuendum Conventum Monialium Mantuæ, quod mirabili pietate, ac suavitate sanctissimè direxit, & apud Serenissimos Gonzagios fuit in singulari veneratione.

Est in illa Spiritus intelligentiæ, sanctus, suavis, amans bonum. Sap. 7.
Sicut Sol oriens mundo in altissimis Dei, sic mulieris bonæ species in ornamentum domus ejus. Eccl. 26.

L*ilia* me pascunt, Aquilæ mirantur, *adorant;*
Claustris Mella dedi, *Sol Aquilisque* fui.

Aliud

Aliud.

Repressit impetum Mincij Mantuam inundantis; vinum ob incuriam ex aperto dolii epistomio fluens mirabiliter suspendit; ter in sepulcro facem extinxit; & cęcam Sororem illuminavit.

Mirabilis Deus in Sanctis suis. Ps. 67.

SIstit aquam, vinumque; facem, tenebrasque repellit;
Quæ cupit, à Christo Sponsa fidelis habet.

Aliud.

De Pane miraculosè providetur; & super ejus Tumulum radius Cœlestis apparet.

De longe portans panem suum. Prou. 31.
Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus. Ps. 115.

DAt *panes* Cœlum, quò verè *Archangela* vivam;
Quò illustris moriar, *luce* sepulcra tegit.

Aliud.

In die conversionis S. Pauli Apostoli animam Deo reddidit.

Gaudium erit in Cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente. Luc. 15.

DEjicitur Saulus, Cœlos Archangela scandit;
Excitat una dies gaudia dupla Polo.

Aliud.

Ejus Sacrum Corpus requiescit Mantuæ ad Aram majorem Ecclesiæ Monialium, dictæ *S. Mariæ de Paradiso*, in parte interiori.

Collocavit ante Paradisum voluptatis Cherubim. Gen. 3.

IPSAMET BEATA AD CVSTODIAM MONIALIVM POSITA SIC SATANAM INCREPAT.

I Procul hinc *Serpens*; postes *Archangela* servo;
Hic sibi custodem me *Paradisus* habet.

P. ANDREAS DE AVERARIA Bergomensis 1495.

Sæpius Prior; valde pius, & pro animarum salute maximopere laborans. Moritur in Officio.

Alluditur ad illud, quod Christus dixit Andreæ Apostolo. Venite post me & faciam vos fieri piscatores hominum. Matt. 4.

A*Ndreas*, homines piscans, fit Martyr amore;
Crux magna est regimen, sic *Cruce* raptus obit.

Mag. PETRUS TRAVERSINUS de Mantua Vicarius Gener. 1497.

Divinis, & humanis literis egregiè fuit ornatus, & ab ipso composita extant quinque volumina manuscripta in Mantuana Bibliotheca, cœlestem doctrinam, moralitatem, summamque pietatem continentia.

Gyrum Cœli circuivi sola. Eccl. 24.

Q*Vinque* plagas Cœli lustrat *sapientia* Patris;
Et Christi plagis cęlica scripta nitent.

Aliud

Aliud.

Ordinavit omnibus pallia alba, & uniformia in itinere; ſimulque carceres, & compedes in quolibet Conventu pro Apoſtatis, & vagè diſcurrentibus paterno rigore coercendis.

Alluditur ad illa verba: In conſpectu Agni amicti ſtolis albis. Apoc. 7.
Sequuntur Agnum quocumque ierit. Apoc. 14.

A*Gnum* ne perdant, *candore* illuſtrat euntes;
Errantes & *Oves compede* ſiſtit amor.

Aliud.

Renunciavit ob graviſsimas cauſas Conventui Laureti, & cuſtodiæ Sanctiſsimæ Domus, & paulò poſt moritur.

VIrginis heu Thalamo viduor, mox vivere ceſſo;
Abſque *Domo Vitæ* quæ mihi vita manet?

P. PETRUS DE NOVELLARIA
Vicarius Generalis 1499.

Rigidus aſpectu, ſed corde placidiſsimus; unde ab omnibus filiali reverentiâ diligebatur; ad ſummam pacem, & quietem Congregationem reduxit.

Alluditur ad illud: De Petrâ melle ſaturavit eos. Pſ. 80.

DUlcis alit genios, facies placet ipſa ſevera;
Petræ durities undique *melle* fluit.

Aliud.

Ad zelantissimum gubernium, quo aliquos incorrigibiles ejecit extra Congregationem; & ad Nomen.

Simile est regnum Cælorum sagenæ missæ in mare &c. Matth. 13.

PLenam, *Piscator*, claustri videt esse sagenam,
Eligit ipse *bonos*, ejicit indè *malos*.

Duo Patres TIMOTHEI de Finali 1502.

Primus fuit Procurator Generalis, secundus Definitor Generalis; ambo singulari amore, charitate, zelo præditi, & ad amplificanda Claustra valde proficui.

Ad Patriam duorum Timotheorum feracem, & ad Timotheum Atheniensem magni nominis Ducem.

Charitas ædificat. 1. Cor. 8.

ET numero, & merito superat Finalis Athenas;
Non *sors* Timotheis, rete sed implet amor.

P. FRANCISCUS DE S. FELICE Vicarius Generalis 1505.

Ad piam, & solitariam vitam; ad casuum conscientiæ maximam peritiam; & ad mortem exemplarem.

Laudabuntur omnes recti corde. Ps. 63.

ERigo cor rectum; morales corrigo casus;
Et casum rectâ dirigo morte meum.

Aliud

Aliud.

Vir ſummæ humilitatis, & virtutis; abhorruit à titulo Magiſterii, & ad modeſtiorem formam veſtes, & caputia Fratrum reſtrinxit.

Super Cathedram Moyſi &c. magnificant fimbrias; amant primos accubitus in menſis; & vocari ab hominibus: Rabbi. Matth. 23.

EST humilis; tituloſque fugit; veſteſque minorat;
Vir pius in Cathedrâ, non Phariſæus adeſt.

P. PETRUS NUBILARIUS de Mantua 1508.

Apoſtolicus, & fervens Concionator, ac Vir illuſtris in Cathedris. Immaturè rapitur. Fuit cariſsimus diſcipulus Baptiſtæ Mantuani, & magnæ exiſtimationis apud ipſum; unde violentum illius Fatum mœſto Carmine cecinit.

Vos eſtis lux mundi. Matth. 5.
Non occidet ultra Sol tuus. Iſa. 60.

SOl citò nube tegor; redeo poſt *nubila* Phœbus;
Meque *Poeta* colit, flet, canit, optat, amat.

Aliud.

Vir patiens, multas æquo animo ſuſtulit adverſitates; ſolitus dicere: *Tu es patientia mea Domine.* Vnde etiam conſcripſit aureum libellum de Patientiâ, de quo habet encomia Helias Capreolus.

Alluditur ad Sacrum Virginis Habitum, qui vulgò Patientia *dicitur.*

JAm *perfecta* nitet *Patientia* Patris, & ipſam
Geſtat, amat, recolit, pectore, corde, manu.

P. AN-

P. ANTONIUS DE AVERARIA Vicarius Generalis 1511.

Exemplarisſimus Præſul.

Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum. Iacob. 1.

HOc Duce deſeritur tellus, hoc itur ad aſtra;
Nam datus è Cœlis, jam benè novit iter.

Aliud.

Ferrariæ, deinde Bariani erat indictum Capitulum, ſed propter Gallica arma, & Interdictum Pontificium, coactum fuit Mutinæ; ibique eligitur in Vicarium Generalem. Licèt procul ab armis degeret, pro ſuſtinendâ in oppreſsis Conventibus obſervantiâ ſummopere laboravit, & multos ibidem ſub rigidis pœnis abrogavit abuſus. Præcipuè ne Fratres ſe ullo pacto immiſcerent militibus, neque haberent familiaritatem cum aliquo, immo nec ullum alloquerentur; ſed diligentiſsimè Pontificium Interdictum caverent.

Abiiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Rom. 13.

DUx pius arma fugit, ſed zeli dimicat armis;
Interdicta timet, ſed *prohibendo* valet.

P. Mag. IOANNES ANGELUS Coradelius de Brixia Vic. Gen. 1515.

Præclarus, & ſolidiſsimæ doctrinæ Theologus, ac Doctor Sorbonenſis. Eligitur à Pontifice coadiutor ad profligandam hæreſim Luteri. Fuit Vir undequaq; ſapientiſsimus, & Statuta Congregationis reformavit.

GAllia dat laurum, palmam victuſque Luterus;
Divus Amor calamum, quo nova Jura notes.

Aliud

Aliud.

Ipso in Vicarium Generalem electo, ab aliquibus Vocalibus controvertitur, an valeret electio; quia contrà Constitutiones non permansit continuè statutis annis in Congregatione, cum studii gratiâ Parisiis degisset ad Lauream obtinendam. Baptista tamen Mantuanus ejus jura defendit, & communi lætitiâ confirmatus est.

Oportet irreprehensibilem esse, ornatum, doctum &c. 1. Tim. 3.

IDEM BAPTISTA PATRES CONTROVERTENTES ITA MONET.

PRæmia, non pœnas, Patres, studuisse requirit;
Quem *redimit* Virtus, est *Caput* ille bonum.

Aliud.

Birretorum nigrorum delationem omninò prohibuit, & ipsorum formam quadratam præscripsit.

ITA PRÆSVL PATRES HORTATVR.

CHristo mens vivat, *funus* neque *tegmina* monstrent;
Sint *Crucis* ad modulum, vitaque mentis erunt.

P. PAULUS DE MASTINIS à Mantua Vicarius Generalis 1519.

Ex Hebræo Christianus, inde Carmelita, postmodum superior, & piissimè rexit.

Alluditur ad Nomen Patris, & ad Paulum Apostolum in illis verbis: Vas electionis est mihi iste. Act. 9.

Gratia ejus in me vacua non fuit. 1. Cor. 15.

DEserit Hebræos, fit *Paulus*, *vasque* supernum;
Hoc *implet* Christus, funditur inde Gregi.

Aliud

Aliud.

Mortalis vitæ contemptor, cùm D. Paulo ejus Tutelari sæpius dicebat: cupio dissolui, & esse cum Christo.

Si quis venit ad me, & non odit &c. adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Luc. 14.

AD Christum sitiens, animam rogat ire solutam;
Hæc manet, odit eam, sic sibi Christus adest.

Aliud.

Nascitur Hebræus, ut supra; fit Christianus, indè Religionem ingreditur; in qua laudabiliter vivens, piè mortuus est.

Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Gal. 4.

ME parit Hebræus morti; sacra lympa saluti;
Dux ardens Claustro; mors pretiosa polo.

P. BALTHASAR INSULANUS de Bononia 1521.

Pius Prior in Patriâ, & Definitor Generalis; multos Libros ad cantum pro Choris Congregationis elegantissimè scripsit.

Laudent nomen ejus in Choro. Ps. 149.

CAntica scripsit Amans; nunc laudat ubique Tonantem;
Ore super Cœlos, per pia templa manu.

P. Mag.

P. Mag. JO: BAP. GRANELLUS Vicarius Generalis 1523.

Concionator eximius, magni nominis Theologus, Doctor Sorbonensis, & sacris psalmodijs incessater assistens.

Qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam, ut & qui seminat simul gaudeat, & qui metit. Io. 4.

ROstra, lycea, choros, recolit, fęcundat, adauget;
Atque metit Palmas qui pia *grana* serit.

Aliud.

Famosas Meretrices Verbi Dei prædicatione convertit.

Aliud cecidit in spinas, & ascenderunt spinæ, & suffocaverunt illud. Marc. 4.

Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri. Matt. 10.

HOc superat *granum spinas*, quas decidit inter;
Perditur haud *semen*, quod serit altus *Amor*.

Aliud.

Composuit illustre volumen super Tertium Sententiarum, quod in Bibliotheca Mantuæ asservatur; & ita quandoque à studijs absorbebatur, ut scribendo integram diem absque prandio consumeret.

DUm calamo pretiosa parit, non prandia curat;
Concha ferens gemmas, pascitur imbre *Poli*.

Aliud.

Interrogatus, quare tam intentè daret operam studijs, ut se ipsum, & proprias oblivisceretur necessitates, cum Platone respondit, non solùm nobis nati sumus, sed Patriæ, Parentibus, ac Amicis.

Alluditur ad verba Salvatoris, & Sapientiæ: Vos estis lux mundi; Vos estis sal terræ. Matth. 5.

Melior est fructus meus lapide pretioso. Ecl. 50.

NOn sibi Sol oritur, non sal, non regia gemma;
Sol, sal, gemma Pater nec sibi natus erat.

P. Mag. BENEDICTUS de Brixia 1524.

Multi decoris, sapientiæ, & famæ; insignis Sciéntificus, & Doctor Bononiensis.

Alluditur ad illa verba Reginæ Sabæ, sapientiam Salomonis admirantis. Verus est sermo, quem audivi in terrâ meâ super sermonibus tuis, & super sapientiâ tuâ & non credebam narrantibus mihi, donec ipsa vidi, & probaui 3. Reg. 10.

AUdit, miratur, venerans dat *Felsina* Laurum;
Et *studij Mater* discit ab ore Patris.

P. Mag. PETRUS MAGNUS de Riparolo Vicar. Gener. 1525.

Fuit zelans, prudens, & amantissimus Pastor.

PAscit *Petrus* oves, & Cęli pandit Ovile;
Mentes consilio *solvit*, amore *ligat*.

Aliud.

Ortū nobilis, ingens Theologus, & Concionator in præcipuis Italiæ Suggestis.

Lingua sapientum ornat scientiam. Prou. 15.

STirps dat, mens auget, complet præconia lingua;
Hic oritur *Magnus*, Maximus hic moritur.

P. PLACIDUS DE ALBINO
Vicarius Generalis 1529.

Ad morum rectitudinem, suavitatem naturæ, & peculiarem dulcedinem in corrigendo.

ESt *placidus* genio; mundo *placet*, atque Tonanti;
Sic *placidè* nectit subdita corda Deo.

Aliud.

Deficientem observantiam restituit, multos tollens abusus, & novas prudentissimas leges regulari disciplinæ adjungens.

Alluditur ad verba Mulieris Evangelicæ:

Congratulamini mihi, quia inveni drachmam, quam perdideram. Luc. 15.

CLaustra movet, mundat, renovat, levat, auget, & ornat;
Eversâque Domo, perdita *Drachma* patet.

Aliud.

Religiosissimam vitam degens, acutâ febre corripitur, & per multos dies delirans, res tantùm sacras loquebatur; ac tandem piissimè moritur.

Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea. Prou. 22.

DEciperis, si verba Patris deliria credas,
Qualis vita viri, non ita finis erit?

P.Mag. JO.BAP. PALLAVICINUS, aliàs de Gentilibus à Bononia 1530.

Vir Sapiens, purissimæ conscientiæ, & eloquentissimus Concionator.

Quæ sursum sunt sapite. Colofs. 3.

COr Pallas vicina regit, Cyllenius ora;
Vndique cęlestem dogmate, more putes.

Aliud.

Insignis Prædicator in celebri suggestu D. Petronij Bononiæ, ubi concionem habuit coram Clemente Septimo Pont. Max. & Carolo Quinto Imperatore eo anno, quo Carolus à Pontifice Coronatur.

Ad vos Reges sunt hi sermones mei. Sap. 6.

IMperium linguæ *Diademata* juncta coronant,
Non Patris est meritis una *Corona* satis.

Aliud

Aliud.

Reſonantiſsimâ voce præditus in concionando ita, ut à ſtantibus in atrio prædicti Templi clarè audiretur.

Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis. Matt. 10.

VOcibus immenſis immenſum prædico Numen;
In *vehemente ſono ſpiritus* ecce Dei.

Aliud.

In concione de Pace ferventiſsimo zelo raptus, prædixit bella Caſali Montisferrati.

BEllum prædico, zelans dum prædico pacem;
Pro linguâ *gladius* nam mihi *Patris* erat.

Aliud.

Fuit Vir pietate inſignis; & abrenunciavit Cognomini de Gentilibus, ſolam retinens nuncupationem de Pallavicinis.

NOmina vana fugit: non eſt *Gentilis* habendus
Qui recolit *verum* voce, manuque *Deum*.

P. Mag.

P. Mag. PETRUS DE GRÆCIS Brixiensis Vicarius Generalis 1531.

Fervescebant magnæ lites contra Congregationem; & fideli constantiâ, in Christo confidens, ipsam tum voce, tum scriptis fortiter defendit.

Est *Petri* non *Græca* fides; non *sedit* ad *ignem*;
Sed *Christo* adhærens, dimicat ore, manu.

Aliud.

Gravissimis immersus contradictionibus, ordinat sacrificia, & preces per totam Congregationem, ut ipsam, propemodum fluctuantem, tueretur, & conservaret.

Alluditur ad Petrum Apostolum: Præceptor per totam noctem laborantes nihil cepimus. Luc. 5.

Mittite in dexteram navigij rete, & invenietis. Io. 21.

Petrus cum cæpisset mergi, clamavit &c. & continuò Jesus extendens manum, apprehendit eum. Matt. 14.

Christus dicitur Patris dextera. Eccl.

IPSE MAGISTER PETRVS LOQVITVR.

Nil piscor, quin mergor aquis sine *numine* Christi;
Fert *sortem*, *Vitam dextera* sola *Dei*.

Aliud

Aliud.

Pater doctissimus, & insignium virorum felix magister; quorum multos, unum post alium, adhuc vivens habuit successores in Officio. Bis Vicarius Generalis, quietem Congregationis acerrimè defendit; ac tertiò electus, dignitatem recusavit.

ATlas Claustra regit; durat; sed ab *Hercule* tandem
Multiplici septus, linquere gaudet onus.

P. JO: PETRUS de CARAVAGIO Vicarius Generalis 1533.

Fuit Regularis observantiæ cultor; & animo inconcussus, omnimodam tranquilitatem Congregationi restituit. *Ad duplex Nomen.*

IN *Petra* residens, jam *gratia* splendet in *auge*;
Sors Ouium *Petri* firmior esse nequit.

Aliud.

Congregationis quietem, & Claustrorum observantiam sustinuit; & sub gravissimis pęnis imposuit diligentem custodiam Ostiorum quorumcumque Conventuum, ne absque Superiorum expressâ licentiâ paterent extraneis.

Vulpes, quæ demoliuntur vineas. Cant. 2.
Sepem circumdedit ei. Matt. 21.

V*Inea* fructificans non Vulpibus esca patebit;
Spinosâ cultor *sepe* tuetur eam.

P. Mag.

P. Mag. JO: MARIA VERATUS de Ferraria 1533.

Moribus integer; omnibus virtutibus, & ſcientiis illuſtris; voce, ſcriptiſque ſingularis; & multa typis commendavit.

OS, pietas, calamus, fœcundat, nutrit, inundat,
Dogmate, more, ſtylo, Pergama, Clauſtra, Typos.

Aliud.

Varia volumina in lucem edidit, profundis, & ſolidiſsimis doctrinis referta.

DOgmata firma dedi, Veri *Veratus* amator;
Quàm ſolidè ſcribam, præla gemendo canunt.

P. BALTHASAR FONTANA de Bononia 1534.

Fuit exemplaris obſequij erga Sacratiſsimam Virginem, & vigilans Paſtor in Patriâ. Matutinas preces ante Solis ortum ſemper voluit terminatas; quibus inceſſanter ſingulis noctibus aſsiſtebat.

Alluditur & ad Nomen.

PEruigil incedens, cor Chriſto *Balthaſar* offert;
Matutina Mago *Stella* præibat amans.

P. JO: BAP. CONFALONIVS de Mediolano Vicarius Gener. 1535.

Apoſtolicus Prædicator, zelans Paſtor, & ardentiſſimus Commiſſarius Apoſtolicus contra hæreticam pravitatem.

Alluditur ad obſervantiam Sylvarum, ad Lupi proprietatem, & ad Nomen Præcurſoris, qui præceſſit: In Spiritu, & virtute Eliæ. Luc. 1.

PRædicat à *Syluis*, Gregibus demonſtrat & *Agnum*;
Hæreſis inde *lupam flammeus* ore fugat.

Aliud.

Ordinavit, ut omnes Novitij deferrent patientiam conſutam Caputio.

PATER NOVITIOS ALLOQVITVR

JUncta ſit, o Nati, *capiti patientia* veſtro;
Mens humilis diſcat participare *jugum*.

P. Mag. ANTONIUS RICCIUS de Nouellaria Vicarius Gener. 1537.

Sæpius Vicarius Generalis; egregius Theologus; efficax Orator; & in arduis Oraculum ſemper Congregationis.

SUnt humeri *Atlantis*, validi tenet *Herculis* ora;
Clauſtri ſic ſolus ſuſtinet ipſe globum.

Aliud.

Gratissimus, & prudentissimus Præsul; electus tertiò in Vicarium Generalem, fortiter onus recusavit; & precibus tandem, ac lacrymis Patrum coactus, acceptavit.

Charitas non quærit, quæ sua sunt. 1. Cor. 13.

VI subiit pondus, gestat sed amore paterno;
Pro se nil cupiens, pro Grege totus erat.

P. MARSILIUS ANDREASIUS de Mantua 1538.

Ad morum puritatem, ac ingenuitatem; ad nobile stemma Gentilitium; ad moralis Theologiæ peritiam; & ad Cycnum stelliferum.

HIc animi candore *Cycnum* superavit avitum;
Novit iter Cœli, Cycnus & astra petit.

P.M. OCTAVIAN. SANGALLUS de Soncino Vicarius Gener. 1541.

Fuit zelans, & exemplaris Superior; summæ charitatis in subditos; corde purissimus, & sub ipso valde refloruit observantia.

Alluditur ad quatuor Anni tempora.

FRuctificat zelus, mos floret, spiritus ardet,
Datque nives candor; *Tempora* sancta regunt.

Aliud.

Sub ipſo nihil de novo ſtatutum fuit; nonnullos ſolummodo Fratres jam profugos paternâ charitate ad Congregationem recepit; & Conventum Monialium, vulgò, *Convertitarum*, noviter fundatum, ad inſtantiam Ducis Ferrariæ gubernandum ſuſcepit.

Gaudium erit in Cœlo ſuper uno Peccatore pœnitentiam agente. Luc. 15.

NOn niſi Paſtor oves ad Ovile reducere curat;
Gaudia dat Cœlis, reſtituendo Gregem.

P. THOMAS de PASSEROTTIS à Bononia 1545.

Præſul in Patriâ, multas eradicavit inobſervantias, & Regularem diſciplinam reſtituit. Suorum Veterum Stemma eſt *Paſſer*.

Sumet duos paſſeres &c. Levit. 14.

L*Epra* fugit culpę, *mundata*que Clauſtra refulgent;
Paſſere pro *duplici* quàm placet *Iſte* Deo!

P. Mag. JO: BAP. MARINUS de Albino 1546.

Ob ejus ſingularem zelum, ardens munus prædicationis, ac innumeros pro Congregatione labores obtinet particulari privilegio poſſe longam barbam nutrire.

Alluditur ad Heliam Thesbitem Virum piloſum. 4. Reg. 1.

ZElantem, fortemque Virum pia *barba* decebat;
Sic *Patrem* ſimilat moribus, ore, pilis.

P. MARCUS ANT. CATTANEUS de Parma Vicarius Generalis 1547.

Ad morum innocentiam, animi candorem, rectissimum gubernium, & Nomen Marci significans: *abstersus rubigine.*

CAndida gesta vides, cor purum, mundaque Claustra;
Marci splendores nulla *rubigo* tegit.

Aliud.

In Conventu Bononiæ Studium formale fundavit, & pro ipso sustinendo ab alijs Conventibus annua subsidia curavit. Prohibuit insuper, ne quis auderet legere, seu tenere sacrilegos libros Luteri sub gravissimis pœnis.

Sicut modo geniti infantes, sine dolo, lac concupiscite. 1. Pet. 2.

F*Ormat*, *alit* studium, Libros prohibetque nefandos;
Felsina sic *infans*, lac *sine felle* bibit.

P. PAULUS DE CARBONARIA 1548.

Erga Sacratissimam Christi Passionem peculiariter devotus, singulis hebdomadis pro unâ Missâ de eadem eleemosynam erogabat; Constitutionum, ac jejuniorum Regulæ fuit observantissimus.

Ad illud D. Pauli: Mihi vivere Christus est, & mori lucrum. Phil. 1.

CRux animam reficit, tenuant jejunia corpus;
Est *Paulo* Christus *vivere*, *morsque lucrum*.

Aliud.

Multoties Diffinitor; sæpius Prior; genio suavis; & summa tranquillitate, ac observantiâ rexit. Ejus avitum Insigne sunt *duo virgarum fasciculi*.

DUlcè regit, *fascesque* gerit, nullamque *securim*;
Consule sub tanto non ferienda vides.

P. HORATIUS PEDEMONS de Mantua 1550.

Fuit religiosissimus, & prudentissimus Pater; favente Serenissimo Duce Guillelmo, cui erat admodum intimus, & à Secretis animæ, obtinuit, ut Conventui Reveri adjungeretur Parochia, & Congregationi Conventus Gonzagæ.

Discite benefacere. Isa. 1.

DAt Claustro Parochum, Matri Gonzagia Claustra;
Seù Factor Claustri, seù Benefactor erat.

P. Baccalaureus JO: ANGELUS Caprianus de Mantua 1550.

Stirpe nobilis, probus moribus, ingenio clarus, à Suggestu gratus, & fructuosus. *Ad geminum Nomen*.

STipite, mente nitet; gratoque illuminat ore;
Angelus est lucis, *gratia* nempe comes.

P. LAV-

P. LAUR. MANTACHETUS
de Bononia 1551.

Sæpius Prior, ac Diffinitor; zelo fervens, & pacis diligentissimus cultor.

Solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis. Eph. 4.

COndecorat solium, pacem fovet, arcet Erinnyn;
Quid poterunt Ditis fulmina? *Laurus* adest.

P. CLAUDIUS SICCUS
de Caravagio 1552.

Summâ integritate, zelo, & prudentiâ sæpius gubernavit.

Oculus fui cœco, & pes claudo. Iob. 29.
Lex Sapientis fons vitæ. Prou. 13.

ERigo si lapsos, si legibus irrigo Claustra,
Dux neque *claudus* ovis, *fons* neque *siccus* eram.

P. Mag. THEODORUS MASIUS
de Mantua Vicarius Generalis 1553.

In Universitate Bononiæ publicus Lector; Illustrissimi Cardinalis Sfondrati, tunc temporis Cremonæ Episcopi, & Postea Pontificis, intimus Theologus, & Consultor; in Tridentino Concilio sapientissimum Fidei Oraculum; in cujus sententiam pro gravissimâ controversiâ, relictis cæterorum contrariis allegationibus, Sacratissimus ille Senatus abjit.

FElsineum illustro Cœlum, sacrumque Tridenti
Spargo nitore Polum; sum Cynosura *Petri.*

Aliud

Aliud.

Habuit prolixam, & doctiſsimam Orationem in Sacroſancto Concilio, quâ inclytos Patres in ſummam traxit admirationem; & fidei negotia ſapienter direxit.

Alludit ad illud: Os ſuum aperuit Sapientiæ. Prou. 31.

OMnis ab ore Patrum pendet ſapientia mundi;
Sed ſapiens Cœtus pendet ab ore Patris.

Aliud.

Eligitur priùs alius in Vicarium Generalem; ſed propter nimias Congregationis anguſtias renunciat. Hic poſtea aſſumptus, viriliter ipſam tuetur; & obtinet tria loca; Conventum Venetiarum, Abbatiam Clavatis, & locum Mirani pro Monialibus.

DUx *proprias* defendit oves; neque fugit ab hoſte;
Quin temnendo *Lupos, auxit Ovile* Gregi.

P. NICOLAUS A VOLTA Mantuanus 1554.

Prior, & Diffinitor Generalis; fuit ſemper virtutis amans, & ſtudiorum protector, ac Męcenas. Ex pecuniis proprio labore acquiſitis fundavit Cenſum pro firmando Studio in Conventu Mantuæ.

Vt Chriſtum lucrifaciam. Phil. 3.

M*Ercurium* firmo; nec inania lucra requiro;
Quin lucra impendens, hac lucror arte Deum.

P. RA-

P. RAPHAEL RUSTICHELLUS de Bononia 1555.

Multoties Prior,& Definitor; zelo, & rigore observantiam semper coluit.

Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis. Prou. 27.

R*Vsticus* est vitijs *Raphael*, animisque medetur,
Et pia *rusticitas* vulnera sana facit.

P. JULIUS SUPERCHIUS de Mantua Vicarius Generalis 1557.

Fuit eruditus, & exemplaris Vicarius Generalis. Abbas Sanctæ Barbaræ in Patriâ; & creatus Episcopus ad instantiam Serenissimi Ducis Guillelmi, cui propter ejus sana consilia, summam prudentiam, animique moderationem, fuit carissimus.

Oportet, Episcopum irreprehensibilem esse, prudentem, ornatum, doctum, modestum, suæ domui benè præpositum. 1. Tim. 3.

PRæsulis, Abbatis, Pastoris munera gessit;
Perfecto capiti *trina* corona datur.

Aliud.

Instituit Judices in aliquibus Monasterijs pro terminandis Causis, & contumacibus corrigendis; rigorosè prohibuit aditum ad Sacras Moniales absque necessitate; & ordinavit librum, in quo scriberentur in singulis Capitulis Generalibus Nomina, & gesta præcipua Fratrum Defunctorum.

ME Duce Grex *errans* redijt, *clausus*que quievit;
Nomine quin surgens, *mortua* vixit Ovis.

P.CA-

P. CAMILLUS AVANTIUS de Gubernulo Mantuanus 1557.

Fuit Definitor Generalis, & ipſo procurante emanarunt in Capitulo Generali quinque ſola Decreta valde proficua Congregationi. De Prædicatoribus. De corrigendis delinquentibus. Pro defendendâ libertate Congregationis. De Sententijs ſcribendis ſingulo anno in Actibus Capitularibus. Et de numero augendo ſtudiorum Generalium.

Alluditur ad Camillum Dictatorem, & ad illud Pauli: In Eccleſia volo quinque verba ſenſu meo loqui, ut & alios inſtruam. 1. Cor. 14.

LEgum *Dictator*, brevias antiqua; Camillus
Jus fert quinque vices, Tu bona quinque jubes.

Aliud.

Mantuæ Prior, elegantem Chorum, & peramplum Refectorium ædificavit.

Edent pauperes, & ſaturabuntur; & laudabunt Dominum. Pſ. 21.

COnſtruit Odeum, ſpatioſa Triclinia condit;
Sic pius exercet guttura voce, dape.

Aliud.

Et ſi Pater ſimplex, ſummis, & ſingularibus dotibus eminebat.

Alluditur ad ſupradicta quinque Decreta ab ipſo promota, ſummopere fructuoſa & ad illud: Domine quinque talenta tradidiſti mihi, ecce alia quinque ſuperlucratus ſum. Matt. 25.

CLauſtra iuvans, meritum quinis ſibi legibus auget;
Quinque talenta tulit, *quinque* lucratur amor.

P. PAULUS LIGNAGUS
Ferrarienſis 1558.

Diffinitor Generalis, & in multis Conventibus Prior; pius admodum Præſul, & ſuis ſubditis infirmis, ac humanâ ſpe deſtitutis, ſolitus ardenti charitate ſemper aſsiſtere, eorumque animas in Cœlum dirigere.

UT ſibi præcurrant, Animas Dux mittit ad aſtra;
Sic Animę proprię nobile reddit iter.

P. BALTHASAR
Ruſtichellus de Bononia 1558.

Zelantiſsimus Prior, & Definitor Generalis; Vir integerrimus, & rigidioris Obſervantiæ cultor.

UNgentem pungit, pungentem *Ruſticus* ungit;
Nam reprimit ſensûs, arcta Statuta colit.

P. MODESTUS RODULPHINUS
de Cento 1559.

Pater exemplaris, & zelans Prior Bononiæ. Ut Deo liberè ſerviret, ingreſſus fuit Carmeliticam Religionem, relinquens totaliter Patriam, in qua ipſamet Religio nullum Conventum poſsidet.

Qui reliquerit domum, aut patrem &c. Centuplum accipiet. Matt. 19.

HÆreat ut Chriſto, *Patrem*que, *Domum*que relinquit;
Centum deſeruit, *centupla* lucra cupit.

P. HIE-

P. HIERONYMUS PAINELLIUS de Godio Vicarius Gener. 1559.

Magnus opere, ac ſermone; Præſul zelans, & æquiſsimus. Fuit Sereniſsimi Ducis Mantuæ dignus Theologus; & verus Heliæ filius.

Alluditur ad Heliam, & ad Aquilas Gonzagias.

JUſtitiæ ſequitur *Solem*, *Patriſque* volatûs;
Hinc iter ad Cęlum *Regia* diſcit *Avis*.

Aliud.

Apoſtolicus, & ardens Concionator, multos peccatores ad pœnitentiam excitavit; & in Clauſtris nonnullos Apoſtatas paternis admonitionibus, ac pœnis lucratus eſt, & Juxta Pauli Quarti Decretum in Congregationem iterum recepit.

Vos eſtis lux mundi. Matth. 5.
Illuminare his, qui in tenebris, & in umbrâ mortis ſedent. Luc. 1.
Hora eſt jam nos de ſomno ſurgere. Rom. 13.

LUx *tenebras* pellit; de *ſomno* ſurgite, Nati;
Surgite, fauſta *dies* ecce *ſalutis* adeſt.

P. MARCUS ANTONIUS de Plodis à Bononia 1560.

Prudens, zelantiſsimus, & conſtans vitiorum propulſor. Eligitur Definitor Generalis die nonâ Maij, quâ incipiebant Lemuralium Solemnia.

Homo ſenſatus in ſapientia manet ſicut Sol. Eccl. 27.
Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Eph. 5.

SOl oritur, Menteſque nitent, *umbræque* recedunt;
Mos redit, ut *Lemures* arceat iſta *dies*.

P. JO: BAPTISTA FRUMENTUS è Mediolano Vic. Gen. 1561.

Facundissimus, & efficacissimus Verbi Dei Præco.
Ad Christi imitationem Triticum in horreum Congregavit. Matth. 3.
Nisi granum frumenti, cadens in terram, mortuum fuerit &c. Jo.12.

HOc moritur *Granum* Mundo; pia Claustra subintrat;
Granaque multiplicans, *horrea* sacra replet.

Aliud.

Dum in D. Petronij Bononiæ ferventissimè concionaretur, & sermonem haberet de Mariâ Magdalenâ pœnitente, Conventum Monialium, vulgò *Convertitarum* in eâdem Civitate promovit, & fundavit priùsquam abiret.

Aliud cecidit in terram bonam. Marc. 4.

IN terram ecce *bonam Frumentum* decidit istud;
Nam Claustri spicam concio sola parit.

Aliud.

In fundatione prædicti Conventus oriuntur multæ discordiæ; sed Pater omnes prudenter superat, & adversantes confundit.

Simile est regnum Cœlorum Homini, qui seminavit bonum semen &c. venit inimicus ejus, & superseminavit zizania &c. alligate ea in fasciculos ad comburendum. Matth. 13.

F*Rumentum crescit*; *Zizania* prava secantur;
Fascibus & propriis *uritur* hostis Homo.

P. AL-

P. ALBERTUS LECHUS de Brixia 1563.

Ad exemplarem morum puritatem, & ſingularem animi ſinceritatem, quibus evaſit utillimus Procurator Generalis in Curiâ,& ſæpius optimus Definitor.

EMicat *Albertus*, Solij puriſſima gemma;
Jam lapis *albus* adeſt, Clauſtra notate diem.

P. MAG. PAULUS PACIFICUS de Parma Vicarius Gen. 1565.

Divo Carolo Congregationis Protectori ſummopere gratus fuit, & cum ipſo ſanctè, ac tranquillè rexit Congregationem. In ſui Vicariatus ingreſſu Beatiſsimæ Virgini Mariæ ſuum gubernium pio, & ardenti ſermone commendavit,& ejuſdem Virginis Officium ad hunc finem quotidie recitandum adoleſcentibus injunxit.

Cum Sancto Sanctus eris. Pſ. 17.

CUm juſto Dux juſtus erat; *Geminis*que ſub iſtis
Pacifico fruitur Cymbula tuta *Mari*.

Aliud.

Eloquens, & gratus Concionator; Præſul zelo ardentiſsimus, & ſatis rigidus pro conſervandâ obſervantiâ.

Vocabant Barnabam Jovem, *Paulum verò Mercurium.* Act.14.

SI pia lingua valet, ſi zelo fulmina vibras;
Mercurium ſimilas, *Paule*, ſimulque Jovem.

Aliud.

Aliud.

Lanea indusia inviolabiliter deferenda ordinavit. Pariter etiam, ut haberetur bona custodia de Ostiis Conventuum, ne absque causâ introducerentur extranei; & ne ullo pacto reciperentur in Conventibus fures, prædones, & contumaces hujusmodi.

ITA PASTOR JUBET.

DItet *lana* Gregem; *Fures* excludat Ovile;
Nec sit *præda lupis:* vivite *Pacifici*.

Aliud.

Districtè vetuit aditum ad Moniales, & colloquia cum ipsis ad Crates.

Gloriam meam alteri non dabo. Isa. 42.
Respiciens per Fenestras, prospiciens per Cancellos. Cant. 2.

PRÆPLATUS ADMONET SUBDITOS.

AH proprium, Patres, zelat Deus almus honorem;
Linquite *Cancellos*; est ibi Sponsus amans.

P. JO: BAPTISTA CONTAGUS de Ferraria 1566.

Dulcis genio, affabilitate animos alliciens, & omnibus gratissimus. Procurator Generalis in Curiâ, multas gratias tum Publico, tum privatis obtinuit.

Mansuetis dabit gratiam. Prou. 3,

COrda movet; in vota trahit; fit prona petenti
Curia; Joanni *Gratia* semper adest.

P.MAG.

P. Mag. JOVITA GORZONIUS de Brixia Vicarius Gen. 1567.

Vir pius, & Heliani zeli cultor; Sancti Caroli consensu, & revisione Constitutiones reformat.

Fiat in me duplex Spiritus tuus. 4. Reg. 2.

EST sibi lex Divus; leges hoc Numine format;
Et regit *Heliades spiritus* inde *duplex*.

Aliud.

D. Caroli auctoritate fultus, inobedientes, & pravos ad observantiam reduxit.

Alluditur ad Gentilitium Stemma ejusdem Sancti:
Diligite iustitiam qui judicatis terram. Sap. 1.
In Chamo, & Freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te. Ps. 31.

UNitur *Justo*, dat normas, tollit abusûs;
Iustorum leges sunt pia *frena* malis.

Aliud.

Omnino prohibuit ludos, comœdias, personas, & bacchanalia.

Alluditur ad illud. Prou. 8.
Ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum, & deliciæ meæ esse cum filijs hominum.

LUdus dat Mundi thesaurum perdere Cęli;
Ludite cum Christo; vincere quisque potest.

P.OCTA-

P. OCTAVIANUS CIPELLUS de Soncino 1567.

Pluries Diffinitor Generalis; in omnibus ferè Conventibus Congregationis humanissimus Prior; religiosæ quietis, ac pacis ubique felicissimus Cultor, & Observantiæ restaurator. *Sub Octaviano Augusto, toto Orbe in pace composito, nascitur Saluator.*

IMperat, & Cœli gaudent sua Regna salute;
Nempe sub *Augusti* pace Redemptor adest.

P. SYLVESTER de MANTUA 1568.

Fuit à secretis animæ Illustrissimi Herculis Cardinalis Gonzagæ, & in Sacro Tridentino Concilio ejus Theologus, & Consultor.

HErculis arma vides, quibus impia monstra domavit;
Consilij clavam nam pia *Sylva* dedit.

P. LUCRET. MANFREDINUS de Carbonaria Vic. Gen. 1569.

Pater amantissimus; sed zelans, & severus in vitium; omnibus tamen gratissimus.

Alluditur ad Anguem ab Alcone Cretense Sagittario vulneratum, & ad illud: Dilectio sine simulatione; odientes malum, adhærentes bono. Rom. 12.

SErvat Amans *Natum*, culpę dum vulnerat *anguem*;
Ignibus, & *jaculis* omnia vincit Amor.

Aliud

Aliud.

Multa Monialibus præcepit; præcipuè, ut ad Crates, non verò in Conventu redderent computa reddit.uum, & expensarum Priori, seu Confessario; & ne adirent easdem Crates ad aliquem alloquendum absque purâ necessitate.

PATER AD IPSAS MONIALES.

COmputa dent Crates, sed non deliria linguę;
Ah' petet ad Crates computa dura Deus.

P. M. REMIG. ALEXANDRINVS de Prato Albuini Vic. Gen. 1571.

Electus in Vicarium Generalem, Dignitati renunciavit.

QVod merita exposcũnt, negat alta modestia Patris;
Respuit imperium, sat meruisse fuit.

Aliud.

Se ad gubernium inhabilem existimabat, amans meliùs esse subditum, quàm Superiorem; unde electioni de se factæ renunciavit, anno Navalis Victoriæ tunc currente. 1571.

Alluditur & ad Nomen.

PATER HVMILI SENSV GVBERNIVM RECVSANS, ITA ROGAT PATRES VOCALES

M*Atris* ut hęc *Navis* cum *Christi Classe* triumphet,
Dux melior *clavum*, *remigiumque* regat.

H P. ZA-

P. ZACHARIAS MARINUS
de Brixia Vicarius Gen. 1571.

Pastor exemplaris, doctus, & zelans, Fato cedit in Officio.

PAscit Oves *proprias* exemplo, voce, labore;
Pro Grege *dans animam*, *Pastor* & ecce *bonus*.

Aliud.

Propter mortem Pauli Pacifici, qui Remigio Alexandrino successerat, in illius locum fuit subrogatus; sed & ipse posteà moritur in officio.

JUstitiam vivens coluit, moriensque ministrat;
Morte recepit onus, morte relinquit onus.

Aliud.

Decretum de Cratibus absque urgenti necessitate non adeundis rigorosè confirmavit; & insuper ordinavit, nullam monialem eligi posse ad custodiam rotarum, nisi excederet annum quadragesimum, ac esset summæ exemplaritatis, ac modestiæ.

In quo etiam nos sorte vocati sumus. Eph. 1.
Pessulum Ostij mei aperui Dilecto meo, at ille declinaverat, atque transierat. Cant. 5.

VIvite cum *Sponso*; Thalami nec perdite *sortem*;
Propitiam servet candida *Sponsa rotam*.

P. Mag.

P. Mag. ANGELUS RUBEUS de Bergomo 1573.

Moribus purissimus extitit, & ardenti zelo insignitus, in magnâ opinione decedit.

Alluditur ad illud. Cant. 5.
Dilectus meus candidus, & rubicundus.

EMicat *Angelicus candor*, *rubet* altus & ardor;
Hanc animam *Sponsus* diligit, ut *similem*.

Aliud.

Apostolicus Concionator, & cœlesti charitate fervens; ad quem audiendum pro animarum salute ingens Populus concurrebat.
Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans. 1. Cor. 13.

A*Ngelus* est linguâ, flammas quoque nutrit *amoris*;
Sed simul *æs resonans*, ad pia Templa vocat.

Aliud.

Religiosæ paupertatis rigorosissimus cultor; quicquid ex suis laboribus, aut ex eleemosynis acquirebat, totum, vel in Conventus beneficium, vel in Pauperum subsidium, proprio usui nihil reservans, erogabat.
Ad illud. Eccl. 31. *Post aurum non abijt &c.*

MEns pia *post aurum neq; abit*, neq; *sperat in auro;*
Mira facit; Quis Hic est? Nomen, & acta docent.

Aliud.

Ad latissimam charitatem, & zelum, quibus, non solùm Prior in Patriâ, probos subditos protegebat, malosq, corrigebat; verùm etiam plurimorum sæcularium spiritualis Pater, & Judex, innocentium animas Dei amore magis in dies accendebat, & corda pęnitentium à vitiis purgabat, & avertebat.

Cum allusione ad Cognomen.

PRovida Virga Ducis mare *rubrum* pandit amoris;
Progreditur Virtus, Crimina *mersa* jacent.

Aliud.

Summæ existimationis in Patriâ, & ad ipsum pro consilio Cives confluebant.

Allusio ad eandem Patriam.

Non potest Civitas abscondi supra montem posita. Matth. 5.

URbis corda tenet; dat Cęli oracula Cella;
Tanta super *montes Urbs* latitare nequit.

P. Mag. LUCRET. TYROBOSCUS de Asula Vicarius Gen. 1575.

Varijs linguis eruditus. Theologus Reverendissimi Patriarchæ Venetiarum, & singularis æstimationis in Tridentino Concilio.

HEbræâ, Græcâ, quin Cęli fulgeo linguâ;
Hanc *Sacrâ* in *Synodo* dat *Paracletus* Amor.

Aliud.

In maximâ Concilij Tridentini controversiâ ipse solus contra cœteros omnes adhæsit sententiæ Magistri Theodori Masij, & in ipsam denique convenerunt Sanctissimi Primates.

Gloriam Sapientes possidebunt. Prov. 3.

HIs regitur Patribus motrix Sapientia Patrum;
Et Fidei Cœlum volvitur hisce Polis.

Aliud.

Præter multa alia doctissima Manuscripta, quæ in Bibliothecâ Mantuanâ servantur, conscripsit insignia Volumina super Psalmos, miram, & facilem ipsorum explanationem afferentia, & typis demandata.

Psallam tibi in Citharâ. Ps. 70.

MIrè concordat *calamus* cum *Carmine Vatis*;
Dat, *Citharam* recolens, *pennaque* dulce melos.

Aliud.

Omnes Magistros, & Graduatos obligavit ad Chori frequentiam.

Dominus dat sapientiam, & ex ore ejus prudentia, & scientia. Prov. 2.

Vani sunt homines, in quibus non subest Scientia Dei. Sap. 13.

DOCTVS, ET PIVS PRÆSVL SIC PATRES GRADVATOS HORTATVR.

LVbricus absque Deo *Gradus* est; Facit Ille Magistros;
In Cœli studijs quærite ad astra *Gradum*.

P.Mag.

P. M. LACTANT. DOMANINUS de Mantua Vicarius Gener. 1577.

Fuit Theologus, ac Prędicator celeberrimus; Sanctissimæ Inquisitionis Consultor; nec non Musicus suavissimus; & non nisi spiritualia cecinit.

Sapientia disponit omnia suaviter. Sap. 8.
Laudate nomen ejus, quoniam suavis est Dominus. Ps. 99.

AVt canat, aut doceat, dulcis rapit extasis aures;
Semper juncta *Deo*, lingua *suavis* erat.

Aliud.

In omnibus erat eruditissimus; & coram Serenissimo Duce Guillelmo publicas Theses de omnibus scientijs, & artibus liberalibus mirabiliter, & peregrinis, ac inauditis rationibus sustinuit; quas in Libro satis conspicuo ipsimet Principi dicavit, non excedens annum ætatis suæ trigesimum secundum.

Ad illud. Eccl. 24.
Gyrum Cœli circuivi sola, & profundum abyssi penetravi, & in fructibus maris ambulavi, & in omni terra steti.

IN Patre omnem iterum *Sapientia* circuit Orbem;
Doctrinę *mundum* detegit atque *novum*.

Aliud.

Composuit duo ingentia Volumina eruditissima de Divinâ Providentiâ, quorum primum in lucem edidit, secundum verò in Bibliothecâ Mantuæ custoditur.

Ipse enim dedit mihi horum, quæ sunt, scientiam veram. Sap. 7.

P*Rovida mens Cœli* Libris se pandit in istis;
Scilicet his solis erudit omne solum.

Aliud

Aliud.

Quinque ſtrenui Concionatores ad inſtantiam Sereniſsimi Ducis Mantuæ multùm ante præmoniti, & nullo particulari themate ipſis præſcripto, ſermonem habuerunt de Paſsione D. N. I. C. Domaninus de ſero ſolummodo pro mane ſequenti ab eodem Sereniſsimo Duce, ut ſuam magis experiretur virtutem, invitatus, aſsignatoque inſuper argumento: *Et amputavit auriculam ejus;* ita egregiè, & ad rem diſſeruit, ut cœteros Oratores abſque paritate præcelluerit.

ORa Patrum ſuperat; gratiſſimus auribus extat;
Amputat hic *linguas*, perficit *auriculas*.

Aliud.

Syxtus Quintus propter Patris ſingularem ſapientiam, ac morum integritatem, ipſum, ut fama erat, in pectore ſervabat ad Purpuram; ſed morte Pontifex præventus, exequi non potuit. Inſurrexit Mantuæ Controverſia, an Sacratiſsimus Sanguis, qui in Eccleſiâ S. Andreæ adoratur eſſet verus Chriſti Sanguis, necne; & Ipſe acriter partem affirmativam ſuſtinens, victor evaſit.

Alluditur ad Chriſti Sanguinem, à Patre Cathedraticè defenſum:
Tu es, Domine, Spes mea. Pſ. 90.
In aſperſionem Sanguinis Jeſu *Chriſti*. 1. Pet. 1.

LACTANTIUS AD PATRES DE SORTE IPSI CONTRARIA CONDOLENTES.

HErois mors flenda, Patres; ſors Fratris amanda;
Oſtra cruor Chriſti nobiliora dabit.

Aliud

Aliud.

Allusio ad idem argumentum.

Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum habebit amicum Regem. Prou. 22.

SYxtus obit quando, quasi cor, me in pectore servat;
Cedit amor Sedem, non satis Ostra putans.

P. Mag. VIRGINIUS A SOLE de Ferraria 1578.

Fuit Doctor Bononiensis. *Ad morum puritatem, Theologicas doctrinas, Nomen, & Cognomen.*

DUm penetrat mens pura Deum, cum *Virgine sol* est;
Dum docet, Autumnus fructifer ecce venit.

Aliud.

Theologicam Lauream à Sorbonensi Collegio procuraturus, ad iter se parat; sed à suo Superiore, ipsius ope, ac prudentiâ pro arduis quibusdam superandis negotiis indigente, detinetur.

S*ol* Ducis imperio, se sistens, promptus obedit;
Longa dies remanet, vincere datque *Duci*.

Aliud

Aliud.

Verbi Dei prædicatione, integritate vitæ, & erga Sacratissimam Virginem, sub cujus peculiari protectione vivebat, devotissimo affectu insignis.

Vos estis Lux mundi. Matth 5.
Pulchra ut Luna. Cant. 6.

FUlgeo *Lux mundi*; sum *Sol*; eclipsis & expers;
Quin magis illustrat, me pia *Luna* tegens.

P.M.JO: BAP. GUARGUANTUS de Soncino 1578.

Ad Nomen Præcursoris, facilitatem in Cathedris, & eloquii suavitatem in Suggestu; ipsum assimilando S. Ioanni Baptistę, *cui latex haustum, sociata pastum mella locustis*. Ecclesia.

CArmeli *Deserta* colis, doctissime *Præco*;
Dulcis es eloquio; *mel* fuit *esca* tibi.

P. M. JO: PAULUS DONATUS de Mantua 1578.

Orator, Philosophus, & Theologus egregius; orando, disputando, & scribendo suavissimus. Quatuor dignos Libros in lucem edidit, Aristotilem cum D. Thomâ conciliantes; aliud pariter ingens, atque gratissimum Volumen, cui Titulus: *Cathechismus Theologicus*. Fuit etiam non vulgaris Astrologus, & prædixit propriæ mortis qualitatem ex sanguinis effusione.

VOx, calamus Cycni; Cycnus versatur in astris;
Ut Cycnus mortem præcinit ipse suam.

Aliud.

Divinis simul, & astrologicis contemplationibus deditus. Præter supradicta volumina, multaque alia typis demandata, composuit erudita *Commentaria supra Aristotelis Meteora*, quæ Pio Quinto summo Pontifici consecravit nondum annum 29. suæ ætatis attingens.

ELevat ad Christi solium *sublime* volumen;
Mens assueta polo, non nisi celsa petit.

Aliud.

De Antiquorum lapideis Monumentis, & Hieroglyphicis insignem peritiam habuit, & erudita Manuscripta reliquit.

INclytus illustrat Veterum Monumenta *Prometheus*;
Reddere *Fax* calami marmora *viva* potest.

P. M. VIRGINIUS BENTIUOLUS de Bononia Vicarius Gener. 1580.

Ad Nomen, & Cognomen, quod Italico idiomate expressum, significat: *bonum tibi volo*; sive: *te amo*. Ad peculiarem devotionem in D. Ursulam ejus Protectricem, ad cujus pedes Patris imago in Conventu D. Martini Bononiæ depicta servatur; & ad optimum, ac felicissimum ipsius gubernium.

V*Irgineos* aperit *Nomen*, cor claudit *amores*;
Ursula Navigii fit *minor Ursa* mei.

Aliud

Aliud.

Ad Flammas, avitum Stemma Patris, & ad ejus Filialem, & ardentem amorem erga Virginem Carmeli Matrem, ad cujus implorandum patrocinium rigorosè præcepit, ut singulis Hebdomadibus caneretur Missa de eâdem Sanctissimâ Virgine in quolibet Conventu.

PEctus alit *flammas*; urget pia *Febris* amoris;
Sed *crisis* est *vitæ septima* quęque dies.

P. MARSILIUS CACCIA de Mantua 1580.

Diffinitor Generalis, & Prior. Insigni charitate, ac amore advenas, & itinerantes hospitio excipiebat; qui tanta capti humanitate, ipsam ubique prædicarunt. *Ad Cognomen materno idiomate sumptum.*

NOmine *vulgaris*, re fit *venatio* clara;
Tendit Amor laqueos, & *peregrina* capit.

P. M. ALBERTUS DE DRACHIS Brixiensis 1580.

Doctor Bononiensis; ardentissimus, & mirabilis in Cathedris; exposuit, & gloriosissimè defendit difficillimas Theses sub titulo *Adam in Paradiso terrestri.*

SUnt *Hortus* Cathedrę, *fatalis plantaque* Theses;
Servat, non *violat fulgida poma Draco.*

P. M. MARCUS ANTONIUS Smeraldus de Parma 1581,

Ad Nomen Patris; ad Cognomen Italicâ linguâ sumptum; ad Theologicas doctrinas, quibus se conspicuum reddidit; & ad singulare obsequium erga Deiparam.

Simile est Regnum Cœlorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas &c. Matth. 13.

Os loquitur *gemmas* Cœli de Fontibus haustas;
In *Marcum Virgo*, non Cleopatra potest.

P. M. INNOCENTIUS BALDUS de Bononia 1582.

Vir probus, summè doctus, & optimus Superior. Ad Nomen, & Cognomen.

Et ad illud Prou. 13. *Justitia custodit innocentis viam.*

Moribus est justus, rectè docet; imperat ęquè;
Baldus Claustra regit *Legibus innocuis.*

P. SERAPHINUS MONZONIUS de Luca Vicarius Generalis 1582.

Valde dissidebant Vocales pro electione Vicarij Generalis, & omnes tandem promptissimè convenerunt in ipsum.

Eligor in Patrem, cessat discordia Patrum;
Propria sunt *Seraphim* munera pax, & amor.

Aliud

Aliud.

Animos Vocalium concordes efficiens, tranquillam unionem in Congregatione ſtabilivit.

Alluditur ad illud: Inventa una pretioſa Margaritã &c. emit eam. Matth. 13.

H Ic meritis potuit *pretioſam* acquirere *gemmam*;
Vnio nam Clauſtris *Vnio* carus erat.

P. M. AEMYLIVS PANNOLINVS de Bononia 1583.

Ad ſingularem elegantiam, & jucunditatem in loquendo, nec non ad Nomen Emylius, ſignificans: blandus, vel feſtivus.

Verba oris Sapientis gratia. Eccl. 10.

G *Ratia* ſponſa parit, Patris ori nupta, *lepores*;
Nec fruſtra *Aemylium* quęris in *Aemylio*.

P. M. JO: PETRUS CHIZZOLA de Riparolo 1584.

Erat ingenio ardentiſsimus; terribilis in Cathedris, & difficillimarum Quæſtionnm propugnator. Compoſuit multa Philoſophica, & Theologica Opera; & fuit plurium Sacrorum Epiſcoporum æſtimatiſsimus Theologus, & Confeſſarius.

Dedit hominibus ſcientiam Altiſſimus. Eccl. 38.

F Ulminat ingenio, tonat ore, typiſque coruſcat;
Imperat & Divis: fert Jovis ipſe vices.

P. Mag.

P. Mag. ALEXIUS PORRUS de Mantua Vic.Gen. 1587.

In Sac: Theologiâ, ſingulariter in morali, & in Lege Canonicâ egregiè verſatus fuit; peculiari honore laureatur Bononiæ in Collegio Theologorum *tamquam famoſus* ſine examine; hac tamen conditione, *ne transeat in exemplum*.

QVid timet *exemplum famoſi* Felſina Patris?
Jam negat *exemplum* qui fuit abſque pari.

Aliud.

Recepit Conventum Valentani, dimiſsis Patribus Servitis, qui eum poſsidebant, ab Illuſtriſsimo D. Card. Farneſio, in Carmeli Virginem ſummoperè devoto, & erga Congregationem benè affecto.

Beatiſſima Virgo Maria viſceribus ſuis Carmeliticum Ordinem ſpiritualiter genuit, & ad vbera lactavit. Bulla Greg. XIII. ad Laudes.

SIC IPSE ILLVSTRISSIMVS CARDINALIS.

HEliades cupio; etſi cari, cedite *Servi*;
Propitiet *Matrem Filius* ipſe mihi.

P. M. THEODORUS BACHINUS de Mantua 1589.

Conſpicuus Theologus, ardens Concionator, & Excellentiſsimus Muſicus.

STirpe *Bachinus* eram, ſaliens ſed mente *Bachonus*;
Me tulit ad Cherubim *Muſica Scala* Chorum.

Aliud

Aliud.

Ferdinando Auſtriaco, & Rodulpho Imperatori, nedum propter cantus ſuavitatem, verùm magis propter eminentiam Theologicæ facultatis fuit gratiſsimus; & apud ipſos multis annis, valde acceptus, moratus eſt.

Servite Domino in lætitia. Pſ. 99.

M*Vſa* Patris placuit, placuit mage Patris *Apollo*;
Sic in *lętitia ſeruiit* ipſe Deo.

P. Mag. VINCENT. CORNELIUS Guarguantus à Soncino 1589.

Ad Doctoralem Gradum, ardorem in diſputando, & zelum in corrigendo.

V*Incentis* Lauro ſapiens *Vincentius* ornor;
Proxima quin labii *fulmina Laurus* amat.

P. Mag. BAPTISTA FERRARIUS de Riparolo 1589.

Vir doctiſsimus. Fuit Monachorum Caſsinenſium, & Carthuſianorum Præceptor; ipſiſque Mantuæ, Parmæ, ac Mediolani Sacram Theologiam dictavit.

AVdit *Caſſinum*, & *Carthuſia* celſa docentem;
De *Monte* in *Montem* Nomen ad aſtra ſalit.

Aliud

Aliud.

Extant in Mantuanâ Bibliothecâ ejus præclarissima Manuscripta Theologica, quibus legit Patribus quoque Cœlestinis Theologiam tum Scolasticam, tum Moralem.

Alluditur ad illud Sapientia proposuit mensam suam. Prou. 9.

EMpyream *posuit* Patris *Sapientia mensam* ;
Jamque Viros *Cæli* Cœlica scripta cibant.

P. M. CLEM. GHERARDINUS de Parma 1589.

Ad Patriam, in quâ primò dedit operam studiis, ad sublimitatem doctrinæ, ac dulcedinem linguæ, quâ postea Bononiense Lyceum per multum tempus decoravit. Fuit Doctor Bononiensis.

Alluditur ad Felsineum Leonem jactantem :
BONONIA DOCET
Et ad illud, Judic. 14. *De forti egressa est dulcedo.*

STillo *triumphanti*, non victo, mella *Leoni* ;
Lilia Jam suxi, concipit ipse favos.

P.M. GEORG. VERCELLONIUS de Mediolano Vicarius Gen. 1590.

Immediatè post Missam de more cantatam de Spiritu Sancto, fuit electus in Vicarium Generalem, ante electionem Definitorum præter stylum Congregationis. Ad singularem gubernii prudentiam, genii suavitatem, & morum innocentiam.

Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut Columbæ. Matth. 10.

COr vigil, & *prudens* patrius mihi suggerit *Anguis* ;
Cor dulce, ac *simplex juncta Columba* Poli.

Aliud

Aliud.

Duobus argenteis Candelabris multi valoris Templum ditavit; & circa annum 1590. quo crudelissima fames premebat, nonnullis egentibus Monasteriis pecuniam suppeditari curavit, quâ de frumento providerent.
Neque accēdunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super Candelabrum, ut luceat &c. Matth. 5.

ILlustrat Templum, Claustris frumenta ministrat;
In *Candelabro* lucet, & in *Modio*.

P. Mag. AURELIUS REGNINUS de Crema Vicarius Gener. 1593.

Doctus; moribus purus; & corde dulcis; æquo, suavi, ac felici regimine gubernavit.

Ornamentum aureum prudenti Doctrina. Eccl. 21.

A*Vreus* est animo, regnat *Regninus* amore;
Ac sibi subjectis *aurea regna* refert.

Aliud.

Obtinuit, ut Locus Virginis Laureatæ in Suburbio Mantuæ posset fieri Conventus formatus, & Prioratus.

Alluditur ad Conventum Sacratissimæ Domus Lauretanæ dimissum.
PATER IPSE DEVOTISSIMVS MARIÆ FILIVS, SIC LOQVITVR.

RAptam plango *Domum*; cupio convivere *Matri*;
Perdidimus *Tectum*, substituoque *Typum*.

P. Mag. CLAUDIUS PERINUS de Parma 1594.

In patrio Lyceo effectus est dignus Theologus; fuit humanissimus genio, & gratissimus Prior sui Conventus.

F *Loribus* è *Patriis* extraxit *Cęlica* mella;
Dulcis, non *pungens*, *regna* meretur *Apis*.

P. Magister PTOLEMÆUS de Ptolemæis à Ferraria 1596.

Ad regium Nomen, & Cognomen; sapientissimum regimen, & eximias virtutes.

J Ungit *sceptra* duo: Solium *Ptolemęus* honorat;
Summa regit virtus, & *Philadelphus* adest.

P. Mag. GABRIEL RAVASINUS de Bononia Vicarius Gener. 1598.

Ad maximam in gubernando sapientiam; animi constantiam; & summam gratiam apud Principes; & ad Nomen, Fortitudinem Dei *significans.*

COrde fuit *magnus*; Magnatum corda subegit;
Fortia semper agit; cor *Gabrielis* habet.

Aliud.

Sedat multa dissidia, & summa pax sub ejus gubernio. Bullam Clementis Octavi de reformatione Regularium tantâ dexteritate exequitur, ut omnes subditi concordi animo acquiescant, & promptissimè obediant. Et ordinat inviolabiliter Processiones mortuorum singulis Ferijs secundis.

Est Patre sub caro, tam mors, quàm vita suavis;
Vivus habes *pacem*, mortuus & *requiem*.

P. THOMAS JUSTIUS de Luca 1598.

Ad zeli fervorem,& maximum fructum in concionando;& ad morum integritatem.

Durus, at in vitium; *tangens*, at vulnera sanans;
Thomas, at *justus*, *prædicat* iste *Deum*.

P. M. THEODOR. GORZONIUS de Brixia Vicarius Gen. 1600.

Vir multæ pietatis; omnibus carissimus; felicissimè gubernavit; Sacros Ritus Congregationis recomposuit, & ampliavit, ipsorumque confirmationem à Præsidente Apostolico impetravit.

Si quis Dei cultor est, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit. Jo.9.

Est pia cura mihi Divinos condere Ritus;
Nomine nempe *Deum*, sed mage corde fero.

Aliud.

Vestimenta reformavit; calceos vanos, & cum sericis ligaminibus prohibuit.

Observasti omnes semitas meas, & vestigia pedum meorum consideraſti. Job. 13.

PRÆSVL SIC SVBDITOS HORTATVR.

VOs Deus *observat*, Cęlum *Vestigia* quærant;
Pura pedem soluunt, vanaque vincla ligant.

P.Mag. CLAUDIUS PIEROTTUS de Luca 1600.

Singulari doctrinâ,& pietate resplenduit,fuitque Vir sapientissimus in consulendo.

Est enim hæc speciosior sole. Sap. 7.

LUx sibi Luca fuit; Matri lux magna refulsit;
Solis, & Aurorę mutuus est radius.

P. M. DEODATUS BAZZONUS de Bononia 1600.

Regij, & alibi fuit dignissimus Præsul.

Omne datum optimum desursum est, descendens à Patre luminum. Jac. 1.

CLaustra regit, satis est: zelans ne plura require;
Cœli jura dabit, quem *Deus* ipse *dedit*.

P.Mag.

P. M. PAULUS ROSSETTUS de Ferraria 1600.

Religiosæ solitudini toto animo studens; Pastor tamen intentissimus Gregi. Suorum Gentilium Stemma sunt *bicipites Aquilæ.*

TOtus mente Deo, Gregibus totusque vacabat;
Instar *Avis* propriæ, fit pietate *biceps.*

P·M·ZACHAR· BERGOMELLUS de Albino 1601·

Doctor in Universitate Theologorum Bononiæ, & zelans Pastor in Patriâ.

STat capiti *Daphne*, menti Divinus *Apollo*;
Sic *Amor*, & *Virtus* in Patre nupta manent.

P. M. PAULUS BRUNELLUS de Pomponisco Vicarius Gen. 1602·

Vir doctus, & sapiens; optimum incepit gubernium, sed obiit in Officio; omnes tamen ejus ordinationes, uti prudentissimæ, confirmatæ fuerunt.

MOrs rapit imperium, immortalibus invida gestis;
Cęcaque decipitur, nam pia iussa manent.

Aliud

Aliud.

Clemens, & gratissimus Præsul; Religiosæ pacis amator, & cultor; Aedificavit amplum Dormitorium in suo Conventu Mantuæ.

Deus Princeps pacis. Isa. 9.
Omne donum perfectum desursum est. Jac. 1.

TE placidum Patrem dat *Princeps pacis* ab alto;
Pax es namque animis, corporibusque *quies*.

Aliud.

Inter cœtera ordinavit, ut Priores, qui nocte ad matutinum surgere non possent, Officio renunciarent.

Virgam vigilantem ego video. Jer. 1.
Pastores erant in regione cadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super Gregem suum. Luc. 2.
Ecce Agnus Dei. Jo. 1.

PRÆSVL AD PRIORES IMPOTENTES.

NOn vigil ah Pastor cedat; duo damna nec adsint;
Perdere nocte *Agnum*, linquere nocte *Gregem*.

P. M. VITALIS PALATIUS
de Bononia Vicarius Gener. 1604.

Exemplaris Superior, & suæ Congregationi, suoque Conventui plurimùm utilis.

FRuctificat Claustro; *Vitales* fundit odores;
Et *Verę Viti palmes* adhæret amans.

Aliud

Aliud.

Antequam moreretur, argenteâ magni ponderis Lampade Templum D. Martini Majoris in Patriâ ditavit.

Alluditur ad illud.

Prudentes acceperunt oleum in Vasis suis cum Lampidibus. Ecce Sponsus venit, exite obviam ei. Matth. 25.

INclyta *Lampas* adest, *oleoque* refulget amoris;
Ob-via sic *Sponso* prodiit hæc Anima.

P. M. ANGELUS SCAMNUS de Mediolano 1606.

Rectus, & prudens Præsul in Patriâ; in arduis constans, & in prosperis moderatus.

Desiderium justorum omne bonum est. Prou. 11.

MEns *Justa*, os *prudens*, cor *forte*, animusque *modestus*,
Quadruplici firmant *cardine* gesta Patris.

P. ELISÆUS FLORAVANTUS de Bononia 1607.

Rigidus zelator pro Constitutionum observantiâ, quam Diffinitor Generalis, restitui, & firmari ardenter curavit; quin, etiam subditus, Fratrum videns inobservantias, acriter corrigebat, & feliciter auferebat.

Alluditur ad restitutam Observantiam Sylvarum; *ad Nomen* Elisæi; *& ad Ferrum Securis in Jordanem delapsum, quod ad nutum Elisæi supernatavit, ut Filij Prophetarum ligna de Sylvâ recidere possent.* 4. Reg. 6.

ZElat *Elisæus*, *Sylvasque* secando reformat;
Iustitię *Ferrum* reddere jussa valent.

P. Mag.

P. Mag. PHILIP. CASTAGNOLUS de Bononia Vicarius Gener. 1608.

Pater innocens, mansuetus, totus amor, & charitas.

PAstor erat, sed vixit Ovis; cor donat Ovili;
Corda Gregis rapuit, cor fuit ipse Gregis.

Aliud.

Decreto, per Illustrissimum Dominum Cardinalem Pinellum Protectorem confirmato, sancivit, non promovendos esse, nec habendos pro legitimis Graduatis eos, qui studia non exercuerint in Conventu Boniæ.

Bonas facite vias vestras, & studia vestra. Jer. 7.

BONONIA DOCET MATER STVDIORVM.

L*Egitimis* gaudet *studiis*; nec talia censet,
Ni *Studii Mater* nutriat illa sinu.

P. M. JO: BAP. de PAVONIBUS à Salodio 1608.

Ad prudens, & vigilantissimum gubernium, morum rectitudinem; ac summam devotionem erga Sacratissimam Virginem Matrem Mariam.

Beatus qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie. Prov. 8.

DVx vigil omne videt; centum fert lumina *Pavo*;
Nam sibi jam sacrum *Juno* beata regit.

P. Mag.

P. M. BARTHOLOM. ZUBINUS de Brixia 1608.

Ad perfectam peritiam in lege Canonicâ, & morali Theologiâ; ad celerem mortem ex acutissimâ febre; & Legem: *Ad bestias.*

B*Artholus* alta docet; violat mors invida *Leges*;
Debuit Hic nunquam, *summus in arte*, mori.

P. RENATUS BRVGNATELLUS de Bononia 1608.

Fuit Definitor Generalis Congregationis, & postea Prior in Patriâ; magnâ semper pietate refulsit.

Quod natum est ex Spiritu, Spiritus est. Jo. 3.

NAtus Fonte sacro, Carmeli est *Fonte Renatus*;
Bis oritur Cœlo, bis pius estque Pater.

P. Mag. SYLVESTER ECCLESIA de Genua 1608.

Præstans Theologus; multorum secularium Sacerdotum moralis preceptor in Patriâ & Vir multi consilii apud omnes.

Conserva præcepta Patris tui. Prov. 6.
Custodi legem, atque consilium. Prov. 3.

PAtria *præceptis*, quę fert *Ecclesia*, paret;
Consiliis hærens, perficit inde *Fidem*.

P. CAMILLUS MAGNANUS de Cento 1609.

Ad vitæ integritatem, piam mortem, & conspicuum Sepulcrum in Ecclesiâ D. Chrysogoni Romæ pro Fratribus Congregationis constructum.

Reddet mihi Dominus in illa die Justus Judex. 2. Timot. 4.

FAma canit vitam, mortem, dignumque Sepulcrum;
Ultima quin recinet tam pia gesta *Tuba*.

P. Mag. MARC. ANT. BELVISIUS de Vercellis Vicarius Gen. 1610.

Rectissimè gubernavit; solum Dei cultum præ oculis habens, ordinavit, ut pro Novitiis nulla pecunia reciperetur præter scuta triginta argentea pro victu.

Omnia arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam. Phil. 3.

L*Ucra* cupit Cęli; cor quærit; negligit aurum;
Numen enim solus nummus amoris emit.

Aliud.

Rigorosè præcepit Observantiam Bullæ Clementis Octavi de recurrentibus ad favores Principum sæcularium pro dignitatibus obtinendis.

Nolite tangere Christos meos. Ps. 104.

PRÆSUL PATRES ADMONET, AD SOLUM DEUM ESSE RECURRENDUM.

SUstinet ille vices Christi, qui Claustra gubernat;
Jus petit, ut Christus deputet ipse vices.

P.M.

P. Mag. RAPHAEL FERRARIUS de Mediolano 1610.

Ad morum exemplaritatem, & proficuas ejus Conciones.
Lingua Sapientum ſanitas eſt. Prov. 12.

DOgmata ſana ferit; fert more, dat ore ſalutem;
Fit *medicus Raphael*, fit *medicina* malis.

P. Mag. ALBERTUS PRIAMI Lucenſis 1610.

Ad gravitatem, & auctoritatem in ſuggeſtu. Fuit Doctor Bononienſis.
In omnibus te ipſum præbe exemplum bonorum operum, in doctrinâ, in integritate, in gravitate. Tit. 2.

P *Ergama* ſunt *Solium*, *Priami* dum Regna manebant;
Lingua fuit *Sceptrum*, Felſina *Serta* dedit.

Aliud.

Staturâ paruus, eloquio magnus, & ſummopere gratus.

PUſillus, ſed voce potens, vi corda trahebat;
Omnis in hunc *punctum* linea tendit amans.

P. CHRYSOGONUS BOCCA Romanus 1610.

Corporis mole, faciei Symmetriâ, & ſympathico genio Paulo Quinto ſummo Pontifici valde ſimilis fuit; taliter propterea carus, ut *amici* titulo dignus ab Ipſo fieret, ejuſque familiaribus gratijs, atque domeſticis colloquijs ſæpiſsimè frueretur.

Ad illud: Amicus eſt alter Ego.

AD IPSUM PATREM.

TU ſimilas *Paulum*, ſimilis cui nullus in Orbe;
Sed neque Tu ſimilis, *Paulus* at *alter* eras.

P. Mag. NICOLAUS ROCCIUS de Salodio 1611.

Efficaciſſimus in diſputando; & evitabantur tamquam inſuperabilia ejus argumenta.

PRælia dat virtus; major ſed gloria pacis;
Hoſtis enim fugiens, ocia digna parit;

P. M. ALBERTUS DIELAITUS Bononienſis Vicarius Gener. 1612.

Uir pius; doctiſsimus Præſul; publicus Metaph. Lector in Patriâ; mirabilis facilitatis in docendo, & ſcribendo, unde ejus manuſcripta ſunt valde in uſu in omnibus Lyceis Congregationis.

CLarè dictavit, ſcripſit; ſed clariùs egit;
Scripta ſcholas peragrant, nam peregrina docent.

Aliud

Aliud.

Urbanus Octavus, cujus jura in quâdam controversiâ defenderat, ad se Patrem vocavit, ut Cardinalem crearet, sed ipse Pater dysenteriâ præventus, piâ morte decedit.

Tu, Domine, susceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum. Ps 3.

ALLOQVVTIO AD PATREM.

AD *Christum* properas, Te quando *Vicarius* ambit;
Lubrica non curas, Ostra beata cupis.

P. MICHAEL BURATTUS de Bononia Vicarius Gener. 1614.

Summo zelo, & incomparabili charitate gubernans, omnibus est gratissimus.

Filius Sapiens lætificat Patrem. Prov. 10.

I*Gnea frena* regit; *Patris* vestigia calcat;
Currum corda replent; zelus, amorque trahunt.

Aliud.

Exemplari humilitate refulgens. Cum esset ex numero illorum, qui sine Gradu in Congregatione vocantur *Patres simplices*, fuit creatus Vicarius Generalis; consecutivè post dignitatem remansit Pater *Gravissimus*, deinde Magister per Apostolicum Breve.

Qui se humiliat exaltabitur. Luc. 14.

HIc salit absque *Gradu*; repetitque *Gravissimus* alta;
Hos *humili* saltûs *simplicitate* potest.

Aliud

Aliud.

Pecuniam, piis laboribus comparatam, impendit in construendo magnifico Sacrario cum nobilibus Armariis in Patriâ; suique Protectoris Archangeli Michaelis effigie, excellenter depictâ, Apsidem ipsius Sacrarii decoravit.

Ut Christum lucrifaciam. Phil.3.
Centuplum accipiet. Matth 19.

LUcrer ut Empyreum, cum fęnore trado monet as;
Exhibet has *Michael*, *pondera justa* probans.

P. Mag. CHERUB. FERRARIUS è Mediolano 1614.

Apostolicus Concionator; suavissimus, & Sacer Poëta.

ESt pius eloquio, dulcis moderamine cantus;
Pindus Carmelus, Musaque Virgo fuit.

Aliud.

De Priscorum Notis, & Dictionibus contractis perfectam notitiam possidebat.

PAndo Notas Veterum, breviataque lucido Verba;
Nostra micat virtus in *brevitate* gigas.

P. Mag. JULIUS LEONIUS de Bononia 1614.

Ad zelum, doctrinam, proficuum regimen, Nomen, & Cognomen.
Qui Congregat in messe, Filius Sapiens est. Prov. 10.
MENSE JULIO SOL ACCEDIT AD LEONEM.

M*Ensis* adest messis; virtutis sole calescit
Julius, & Fruges perficit igne *Leo*.

P.M.GEORG. PANTALEONIUS de Luca 1615.

In Libris legendis indefessus; studiis toto conatu deditus; in Universitate Bononiæ fuit Laureatus; Apostolicus, ac fructifer Concionator evasit.

Cum allusione ad Nomen, quod importat Agrum colens: *& ad illud.* Cant. 3. *Ego Flos Campi.*

LEctio, sudor, amor, Laurum serit, irrigat, auget;
Hinc *Florem Campi* laurea Serta *colunt*.

P. Mag. JOVITA TRIVELLINUS de Brixia 1615.

Excellens Theologus; Apostolicus Prædicator, & Pater admodum exemplaris.

MEns tenet; os promit; sapiunt pia gesta Tonantem;
Omnia possedit *plena* Jo-*vita* Jouis.

P. M. THEODORUS CAMBIUS de Mantua Vic. Gen. 1616.

Meriti, & existimationis singularis; prudentissimus Consiliarius Serenissimi Ducis Mantuæ; cujus Lineam jam deficientem, per Sponsalia à se ipso Patre tractata, & conclusa, feliciter protraxit.

COnsilio, vultuque gravis, sum natus ad *alta*;
Jpse *Ducem duco*, *sustineo*que meum.

Aliud.

Fuit etiam à Secretis Status Serenissimorum Ducum Mantuæ Ferdinandi, & Vincentij; Consultor Sanctissimæ Inquisitionis; intimusque Theologus Francisci Gonzagæ Episcopi Mantuæ.

C*Onsului Ducibus*, *Fidei*, sacrisque *Tiaris*;
Et mundi, & Cęli dirigo mente *Statum*.

Aliud.

Pauciloquus, & silentii amantissimus.
Vir prudens tacebit. Prov. 11.

PRincipis, & Fidei *secreta* in pectore condo;
Muneris alta fides labra *silere* docet.

P.M.

P.Mag. BAPTISTA FURNARIUS de Mantua 1616.

Præclarus Theologus, & Concionator, nec non zelans Prior.

Ad Nomen, & Cognomen.

EST pia vita Gregi; Verbi panemque ministrat;
Sic bonus est *Pastor*, qui benè *Pistor erat*.

P.Mag. JO:PETRUS BONETTUS de Alzano Bergomensis 1617.

In proximum totus charitas; spiritu prophetico multorum sortem prædixit; Vincentij Ducis Mantuæ Consiliarius; confirmavit antiquam Observantiam in Conventu S. Luciæ Castellinæ, & eandem in suo Monasterio Bergomi instituit; fuit Pater magnæ integritatis, & singularibus dotibus insignitus.

Charitas non quærit quæ sua sunt. 1. Cor. 13.

NOn sibi natus erat; *communis* vita placebat;
Hoc habuit *proprium* non habuisse parem.

P. M. VALENTIN. MANDULUS de Ferraria Vicarius Generalis 1618.

Erat profundus, ardens, & magni nominis Theologus; libenter amplectebatur, quin avidè quærebat, occasiones disputandi.

Bibite, & inebriamini, carissimi. Cant. 5.
Qui bibunt me, adhuc sitient. Sap. 24.

MEns calet acta mero, *Verâ* de *Vite* fluente;
Hinc *sitit* assiduè *lingua* perusta Deum.

Aliud.

Et linguâ, & calamo celeberrimus Theologus; capitis naturali humiditate gravatus, facilè in Circulis Literariis dormiebat; sed invitatus exurgens, illicò doctiſsimè arguebat.

Ad Nomen.

ORe, ſtyloque *Valet*; laturus prælia dormit;
Plus ſapit Hic ſomno, quàm vigilando Duces.

P. Mag. ANTONIUS MARIA Mediovillanus de Bononia 1618.

Vir ſcientificus; Felſinea Lauro decoratus, & ſui Conventus conſpicuus Præſul.

ESt Patrię ſplendor; *Lauro*, *Virgâque* decorus;
Stemmate ſic *gemino Phœbus* ubique regit.

Aliud.

In gubernio cum probis animo, & facie hilaris; cum malis paternè rigidus.

Ad Cognomen.

DIvidit, ut jungat; rectos ſibi nectit amore;
Acquirit *mediâ ruſticitate* malos.

P.M.

P. M. SIGISMUN. OGNIBENIUS de Parma Vicarius Generalis 1620.

Ad ſapiens, & æquiſſimum regimen; ad multa decreta circa ſtudium ab ipſo emanata; ad ejus ingenitam manſuetudinem, ac modeſtiam; ad Cognomen, & ad Verba Sap 7. *Venerunt mihi omnia bona &c,*

JUſtitię ſtudeo; *ſtudiis* moderamina pono;
Meque ſimul moderans, *omnia* porto *bona*.

Aliud.

Prudenter, ac æquiſsimè gubernavit; & ideo ejus officium per Breve Apoſtolicum prorogatum fuit ad annum; ſed ante gratiæ conſumationem, Fato cedit.

Iuſti accipient regnum decoris de manu Domini. Sap. 5.

PRorogat ad tempus mihi regnum grata Poteſtas;
Vertit in æternum gratior ipſe Deus.

P. SYLVIUS BIASOLIUS de Ferraria 1620.

Diffinitor Generalis; non multùm literatus, ſed religioſis moribus ſatis prædicus.

SPiritui ſtudeo; literis nec diſtraho mentem;
Sat mihi pro cunctis *Omega*, & *Alpha* Poli.

P. Lector JO: MARIA PENSA de Mantua 1620.

Fuit vir probus, doctus, & amabilis.

Alluditur ad duplex Nomen; ad ejus transitum à Jesuitis ad Carmelitas; & ad Mariam Virginem Carmeli Matrem.

D*Iscipulum* linquit, sed *carum* monstrat *Jesus*;
Dicit enim *Matri*: *Filius ecce tuus*.

Aliud.

Vir eruditus, & humanis, ac sacris literis peronatus; Librum, vulgari quidem idiomate, sed non vulgari stylo composuit, Vitas, & præcipua gesta PP. Illustrium sui Conventus Mantuæ compendiosè continentem, quem Typis etiam demandavit.

AD IPSVM LIBRI AVCTOREM.

INclyta gesta Patrum calamo quid stringere curas?
Si vis cuncta simul scribere, scribe tua.

P. M. THEOD. GASPARDONUS de Casali 1621.

Eruditus, doctus, & dignus Concionator. Electus in Diffinitorem Generalem, emanare curavit Decretum pro reformatione Prædicatorum, ut nullus admitteretur ad conciones, nisi prævio rigoroso examine; ac aliàs admissi, denuò examinarentur; & idonei non reperti, suspenderentur à Verbi Dei prædicatione.

Ego ero in ore tuo. Exo. 4.

Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Matth. 10.

ORe docens; & lege jubens, pia Rostra decorat;
Rostraque digna Deo quælibet Ora facit.

P. M.

P. M. ANG. GABR. CIGARINUS de Bononia 1614.

Erat vir ſapiens; ſub ejus gubernio, & directione ædificata fuit in Conventu S. Martini Majoris Bononiæ magnificentiſsima Bibliotheca.

Sapientia ædificavit ſibi domum. Prou. 9.
In corde prudentis requieſcit ſapientia. Prou. 14.

ÆDificat, me Patre, *Domum Sapientia* duplam;
Conditur vna *Libris*, altera *Corde* meo.

Aliud.

In eodem pariter Monaſterio propriis ſumptibus novi Clauſtri elegantiſsimam ſtructuram incepit, quæ adhuc vulgò dicitur: *la Fabbrica del Cigarini*; alia Clauſtra ſatis comptè reſtauravit; fuitque amantiſsimus, & rectus Præſul dicti Conventus.

MEns parit Ideas, quæ dant pulcherrima Clauſtra;
Pulchrior o quantùm mens data Clauſtra regit!

P. M. JO: PETRUS de ANSELMIS à Mantua 1623.

Mente promptiſsimus, & ardentiſsimus in Cathedris, ac apud omnes viros eruditos magnæ famæ. Quantâ doctrinâ, pari humilitate conſpicuus; celeri morte præripitur.

Gloria mea in Deo eſt. Pſ. 61.

FLamma fuit Cathedrę; Sphęram citò quærit in Aſtris;
Gloria nam mundi fit ſibi ſtupa levis.

P.M.

P. M. DOMINICUS ROTA
Vicarius Generalis 1625.

Ad Lauream Doctoralem in Collegio Theologorum Bononiæ; Ad laudabile Congregationis Gubernium; & ad Episcopalem dignitatem, ad quam postremò fuit assumptus.

Alios autem Pastores, & Doctores. Eph. 4.

CUm lanis Pastor, cum Lauro Mitra refulget;
Et virgâ, & calamo figit in auge *Rotam*.

Aliud.

Valde Pictoribus favebat; & nobiles picturas pro Ecclesiâ comparavit. Scripta Typis mandare cupientibus pecunias suppeditabat. Pro ædificandâ Bibliothecâ æs multum contribuit. Literis præditos dignitatibus extollebat. Harmonicis concentibus summopere gaudens, Musicorum numerum in Patrio Templo notabiliter adauxit.

PEniculis, pennis, Libris, Literisque, Chorisque,
Spes, animus, clypeus, Laurus, Apollo fui.

P. M. CORNELIUS BONETTUS
de Soncino 1625.

Ad vehementem ardorem in Cathedris, ac in suggestu; & ad *Cornelios Balbum*, & *Severum*.

FUlmina sacra vibrat valido *Cornelius* ore;
Non *Balbum* credas; voce *seuerus* erat.

P.M.

P. M. ANTON. CASTELLANUS de Ferraria 1625.

Fuit Procurator Generalis in Curiâ anno Iubilæi 1625. & eodem anno insignes gratias, & indulta Congregationi impetravit.

URbs mihi grata favet, felixque sit annus Ovili;
Romam participans, *jubilat* omnis Ovis.

PP. BACCALAVREI

Cæsar Benzonus de Mantua 1625.
Franciscus Quistellus de Mantua 1625.
Iacobus Anton. Basalea de Mant. 1623.
Octavius Burgofortus de Mantua 1598.
Io. Antonius de Rodigio 1598.
Aurelius Pesentius de Soncino 1587.
Eustachius de Salodio 1587.

Non pervenerunt ad Magisterium, sed omnes in gradu Baccalaureatus piissimè decesserunt, & religiosæ, ac exemplaris mortis proficua documenta reliquerunt.

MOrs cita, non meritum, Patres negat esse Magistros;
Sed Nos morte docens, quisque *Magister* obit.

P.M.

P. M. JO: BURGOFORTUS de Mantua 1626.

Fuit Sac. Theologiæ dignissimus Doctor, prudens Præsul, subditisque carissimus. Exuberanti rheumate à capite defluente suffocatus, obiit Romæ.

ORno caput Lauris; Claustri Caput, ornor amicis;
Me caput heu perdit; me Caput Orbis habet.

P. Mag. DOMINICUS MARIA Pulzonius de Bononia Vic Gen. 1628.

Superior Sapiens; & Vir admodum serius, sed amabilis.
Sapientia proposuit mensam suam. Prou. 9.
Vos estis sal terræ. Matth. 5.

HOc *sale* condìtam *posuit Sapientia Mensam*;
Majestas, & Amor fercula grata parant.

Aliud.

Prædium, piis laboribus, & industriis emptum, suo Conventui reliquit.
Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum Cœlorum. Matth. 5.
Simile est Regnum Cœlorum Thesauro abscondito in agro &c. Matth. 13.

HIc emit ut donet; *paupertas* fulget in *Agro*;
Cęli Thesaurum comparat *Emptor Agri*.

p.Lu-

P. LUDOVICUS DE CERVIS
à Bononia 1628.

Dignis ornatus prærogativis; fuit electus Prior S. Martini Majoris in Patriâ; sed renunciavit, nondum completo biennio; & paulò post moritur.

Ad fontem Heliæ.

C*Ervus* erat sitiens; *Patris* citò deserit *undas*;
Ad Cœli Fontem nam properabat amor.

P·M·THEODOR·BARGELLINUS
de Ferraria 1628.

Gravis, & sapiens; sed simul facetus; lepidis dictis, salibusque opportunis errores feliciter corrigebat.

Assumite disciplinam, & copiosum aurum possidete in eâ. Eccl. 51.

ZElat, & ex *Ferro* mores convertit in *aurum*;
Chymicus auriferos nam parit ore *sales*.

P.M.ALBERTUS TOMASELLUS
de Salodio 1629.

Ad singularem prudentiam; doctrinæ puritatem, & claritatem mirabilem; ad profundam Theologiam; ad Patriam, Nomen, & Cognomen.

In corde prudentis requiescit sapientia. Prov. 14.
Candor est enim lucis æternæ. Sap. 7.
Consilium ejus in abysso magnâ. Eccl. 24.

DAnt, Patriam, Nomen, Stirpem, *Sal*, *Albor*, *Abyssus*;
Cor sapit; os candet; mensque profunda rapit.

P. CLEMENS OLIVA
de Parma 1630.

Sac. Theologiæ ſtudens formalis; altus ingenio; valde ſcientificus, & eruditus; ſed celeri morte ſublatus.

ALtiloquus, ſapiens, maturus; ceſſit acerbus;
Ah nimium ſapuit! nec violenta manent.

P. FRAN. MAR. PUGNANUS
è Bononia 1630.

Innocens moribus; multus zelo; magnæ poteſtatis in energumenos. Curatus tempore Peſtis, intrepidè aſtitit Gregi; & eodem morbo correptus, piè moritur.

IN vitium *pugnans*, *pugnans* cum Dæmone, vinco;
Vinco *luem* cedens, *mundus* & aſtra peto.

Aliud.

Moralibus omnibus mirabiliter inſignitus Virtutibus, & Sacerdotali Poteſtate prævalens in Obſeſſos, vel Dæmones ejiciebat, vel compreſſos retinebat; zelantiſsimè curam animarum exercens, egregiâ ſuaſionum dexteritate, ac efficaciâ quaſcunque diſcordias componebat.

Ad illud: Eccleſiaſtic. 45. *In verbis ſuis monſtra placavit*.

HIc Satanam verbis, & diram placat Erinnyn;
Virtutum Monſtrum vincere monſtra valet.

P.M.

P. M. JO: PETRUS BECCARIA de Mediolano 1631.

Humanissimus, & amatissimus Præsul in Patriâ.
Benignus est enim Spiritus sapientiæ. Sap. 1.

DIsce novum genus imperii; jubet iste rogando;
Servos disce novos; obtinet ante preces.

P. Mag. JO: BAP. PEZZOLIUS de Novellaria 1631.

Gratissimus Concionator; Vir probus, & exemplaris.
Ad Nomen.

VOx *clamantis* adest; sed non *Deserta* colentis;
Ingentes populos nam trahit ore, manu.

P. Mag. HIERON. FEROLDUS de Brixia 1632.

Prior sui Conventus Brixiæ, Templum, & Sacrarium notabiliter refecit; commodas Cellas ædificavit, ut Hospitibus inservirent; Fuit zelans, ac exemplaris Superior: & graves abusûs eradicavit.
Charitas ædificat. 1. Cor. 8.

ÆDificat zelus Templum, Sacraria, Cellas;
Ut magis ædificet, destruit omne malum.

P. Mag. PHILIPPUS ORIGONIUS à Mediolano Vicarius Gen. 1632.

Ad summam pacem Congregationis sub ejus regimine; licet inter maxima dissidia electus fuerit in Vicarium Generalem.

SUmma quies, & summus amor, me Præsule, regnant;
Magni sunt partus, nempe *Philippus* eram.

Aliud.

Aggregavit Conventum Sylvarum novo Conventui reformato S. Luciæ Castellinæ, ut renovaretur, & magis vigeret Helianus Zelus ipsius Conventus Sylvarum, unde orta fuit Congregatio.

Ad Nomen Heliæ, quasi Helios, ad ejus Fontem, & ad Locum Sylvarum.
Est enim Sapientia speciosior Sole. Sap. 7.
Timor Domini fons vitæ. Prou. 14.
ÆNIGMA A PIETATE SOLVENDVM.

S*Ol* Radio paritur; *Fons* Rivo; *Sylvaque* Ramo;
Restituit vitam Filius ipse Patri.

P. Mag. MARCUS ANTONIUS Martinellus de Parma 1632.

In literariis certaminibus se laudabiliter exercuit; quietam, & Religiosam vitam semper egit.

Corona sapientiæ, timor Domini, replens pacem. Eccl. 1.

GRata quies *oleam* connectit Palladis *hastæ*;
Et *Martis* minuit *Nomina*, *pacis* amor.

P. M. ARCHANG. COMASIUS de Tridino 1633.

Exemplaris, & zelans Prior; magnuſque Theologus, & Concionator

In omnibus præbe te ipſum exemplum bonorum operum, in doctrinâ, in integritate. Tim. 2.

CUlpa ruit, cęlique patent; *Archangelus* adſtat;
More *fugat Satanam*, *nunciat* ore *Deum*.

P. Mag. ANGELUS ROBERTUS Laurentus de Bononia Vic.Gen. 1638.

Zelantiſsimus Paſtor; antiquæ Obſervantiæ reſtitutor; & Romani Archivi fundator.

Alluditur ad verba: Ecce nova facio omnia. Apoc. 21.

JUra *vetuſta* colo; *veterum* monumenta reſervo;
Moribus antiquis *omnia* reddo *nova*.

Aliud.

Choriſtas omnes, præter Lectores actuales, in Choro frequentes voluit; ſilentii obſervantiam rigorosè præcepit; verba immodeſta omninò ſuppreſsit; ſtudiorum enixus promotor, otioſa colloquia in proficuas, & inceſſantes diſſertationes convertit. Primus mantilium communitatem in Refectorio decrevit; itaut omnibus Fratribus, qui priùs in particulari ſe providebant, teneretur quilibet Conventus ipſa ſubminiſtrare, ſinguliſque hebdomadis immunda tollere, ac munda ſubſtituere; qui laudabilis, ac religioſus nitor ſemper impoſterum in totâ Congregatione ſervatus fuit.

Non quod intrat in os, coinquinat hominem, ſed quod procedit ex ore. Matth. 15.

OS *edat*, aut *edat*, fratrem non inquinat ullum;
Mappula labra polit; dant labra verba poli.

Aliud

Aliud.

Petit Viterbium, ibique, præ intensâ applicatione ad restituendam vitę Regularis perfectam observantiam, lethali morbo correptus, efflavit animam.

Vix pro justo quis moritur. Rom. 5.

URbs *vitæ Angelicam* non possidet, *Angele*, *Vitam*,
Quam cupis; in Cœlo est; i, cape, funde Tuis.

P. M. CONSTANTIUS ULMUS de Brixia 1639.

Doctrinâ, & pietate fuit insignis. Prior sui Conventus, verbo, & opere Regularem Observantiam sustinuit, & auxit.

FRuctificat pietas; Grex vivit nectare Cœli;
Nam Christi *Vitem* sustinet *Ulmus* amans.

P. MARCUS ANTONIUS Porta de Tridino 1646.

P. JO: BAPTISTA DRAGHIUS de Roma 1630.

P. DAVID BONSIUS de Ferraria 1628.

P. JO: BAPT. de AQVIPENDIO 1640.

Juvenes morigerati, & observantes; vix consequuti Gradum Lectoris, cujus munus est Logicam docere, in eodem Gradu piè, ac religiosè moriuntur.

REcta Patrum *Logice* docuit *concludere* ritè;
Is bene concludit, quem pia vita præit.

P. Mag. CÆSAR BENVENUTUS de Ferraria 1640.

Sapientissimus Regens in Patriâ; & inimitabilis facilitatis, ac firmitatis in doctrinis, tum dictando, tum disputando.

Vir sapiens fortis est; & Vir doctus robustus, & validus. Prou. 24.

VENI, VIDI, VICI.
IN VTROQVE CÆSAR.

IT, *videt*, & *vincit* fortis cum Pallade *Cæsar*;
Nam Calamo, & Cathedris est *in vtroque* potens.

P. M. THEODORUS QVALEA de Mantua 1640.

Fuit ardentissimus in Cathedrâ, & in Suggestu; naturali energiâ in familiaribus colloquijs, mirè animos captabat; & pede claudicabat.

FLammeus est animo; metuendus fulmine linguę;
Ferrea corda liquat, *Mulciber* arte, *pede*.

P.LAV-

P. LAURENTIUS DE MONTINIS
Lucensis 1640.

Cantus Monastici Magister pro Choristis: quos musicâ Manu Aretini fundamentaliter instruens, brevi tempore ad canendum perfectos reddebat. Ejusdem Manus a se ipso delineatæ cum suis regulis, & declarationibus extat adhuc Tabula in Choro S. Chrysogoni Romæ.

QUàm citò Discipulis aperitur Janua Cantus!
Cla-vibus hanc reserat provida nempe *manus*.

P. M. PAULUS HERCULESSIUS
de Ferraria 1641.

Sui Conventus vigilans Præsul, multo zelo rexit, & paternis admonitionibus assiduus, virtutes firmavit, & vitia destruxit.

Quasi à facie colubri fuge peccata. Eccl. 21.

Bestiam habentem capita septem &c. quæ erat, & non est &c. & ipsam igni concremabunt. Apoc. 17.

ME Duce, gustat Ovis Cœlestia dogmata *Pauli*;
Herculis & patitur Criminis *Hydra facem*;

P. Mag. ANGELUS SAUORUS
de Genua 1641.

Ad incomparabilem, ac fructuosissimam sapientiam, & eloquentiam in concionando, quâ ex insignioribus Europæ Suggestibus trahebat infinitum numerum Auditorum, ac plurimos Peccatores in Cœlum dirigebat.

A*Ngelus* ore *Magus*, Cęlos, non Tartara cogit;
Flectit ad ima Deum; fert super astra Viros.

Aliud

Aliud.

Efficacissimus in commovendo, & illuminando Peccatores, animarum salutem mirabiliter operabatur.

IRradiat Cœcos; claudos regit; omnia sanat;
Ecce *salutis aquas Angelus* ore *movet*.

P. FRANCISC. CASTELLANUS à Bononia 1641.

Vir sincerus, fidelis, & probus; in Computis, & Libris æquandis versatissimus; diu Procuratoris munus exercuit; & in eodem Officio nonagenarius piè decedit.

Ducam te per semitas æquitatis. Prov. 4.

ÆQuus erat calamo; verbis, & sensibus æquus;
Reddidit extremus computa justa dies.

P. M. DOMINICUS MASSONIUS Lucensis Vicarius Gener. 1642.

Aspectu vulgaris; apparenter iners; loquelâ rudis; sed animo prudentissimus, benignus, amatus, Principibus carus; ac pluries Vicarius Generalis.

Vos secundum carnem judicatis. Jo. 8.

ESt humilis vultus; mos durus; lingua remissa;
Finis, mens, virtus, altus, amica, potens.

Aliud.

Sapientissimus, & singularibus emicans animi dotibus; Romæ omnem ferè vitæ cursum transegit; ubi etiam Fato cedens, tumulatus est.

ROma rapit, quem Luca parit; sum lumen vtrique;
Luca nitet Cunis, Corpore Roma micat.

P. Mag. PETRUS THOMAS de Saracenis à Bononia 1642.

Vir doctus, ac genij humanitate præclarus.

Alluditur ad Nomen, & Cognomen, nec non ad Martyrium D. Petri Thomæ sagittis à Saracenis confossi.

Est enim in illâ Spiritus intelligentiæ suavis, humanus, benignus. Sap. 7.

ORe sapit, sed more rapit, sed cogit amore;
Cunas, non mortem, *stirps Saracena* dedit.

Aliud.

Præsul in Patriâ, rigorosam priùs justitiam in se ipsum exercuit, humanos omnes affectûs à suo corde præcidens, ut aptiùs inde flammeum Sancti Patris Gladium pro Dei cultu, Claustrique observantiâ tractaret. Tantam Patris integritatem, ac zelum quidam malæ voluntatis Homo ferre non valens, gravissimo ictu, suadente Dæmone, ipsum impetere ausus est; quam tamen crucem pro Christo æquo animo sustulit, & injuriam placidissimè, & ex toto corde remisit.

Alluditur ad ejus Insignia duos Enses in modum Crucis *exponentia, ad illud* Lucæ c.22. *Ecce duo gladii hîc* &c. *Sequuti sunt autem illum* &c.

Et ad verba Matt. c. 16. *Tollat crucem suam, & sequatur me.*

SIC PATER, OFFENSAM PATIENTER REMITTENS, ALLOQVITVR SALVATOREM.

CRux mihi, *Justitię*, *zelique* resultat ab *armis*;
Te *duplici gladio*, Te *Cruce*, Christe, sequor.

Aliud

Aliud.

Instituit, ut quotannis Collegium Theologorum festivo die S. Petri Thomæ congregaretur in D. Martini Majoris Bononiæ Templo ad audiendam Missam solemnem, simulque Panegyricum Sermonem in honorem ejusdem Sancti, qui fuit primus ex dicti Collegij Fundatoribus.

Corona senum Filij eorum. Prov. 17.

INvisit *proprium* per me *sapientia Patrem*;
*Artificem*que suum *nobile* laudat *Opus*.

Aliud.

Cum senio confectus resolveretur, sponte pecuniam sibi ad usum concessam proprijs manibus tradidit, voluitque reponi in Capsa trium Clavium Conventus; & simul petiit, ut videret, & vidit suos Libros in publicâ Bibliothecâ repositos.

MIra Patris pietas! Monachus Testator obivit;
Emit & innocuâ proprietate Polum.

Aliud.

Fuit moribus integerrimus, & singularis pietatis in Virginem, & in extremâ vitæ periodo sæpiùs illa verba repetebat: *adjuva me, Sacratissima Virgo, in hac horâ, quia colluctor cum æternitate.*

Alluditur ad Jacob cum Angelo colluctantem.
Et ecce vir luctabatur cum eo usque mane &c. dixitque *ad eum: dimitte me, jam enim ascendit aurora.* Gen. 32.
Et ad Virginem, quæ orta creditur in Aurora, ac de quâ dicitur: Quæ est ista, quæ progreditur quasi Aurora consurgens. Cant. 6.

PErdit in *Aurorâ* Dominum *luctator* Jacob;
Nunc *Aurora* Patri monstrat amica Deum.

P. ANDREAS SVMMARIPA de Mantua 1642.

Erat proceræ staturæ; Vir admodum gravis, & prudens; varios Conventus rexit benignissimus Pastor: & licèt non Graduatus, in Sacris Scripturis, ac morali Theologiâ fuit non mediocriter versatus.

Cum allusione ad Cognomen.

LOngus *Homo* est *sapiens*; placidum cor servat, & altum;
Virtutum claudit *summa*que *Ripa* mare.

P. Lect. THOMAS VITALIS de Vitalibus à Bononia 1642.

Magni animi, & multæ activitatis in agibilibus; corpore pusillus, & immaturâ morte præventus.

Ad Nomen, & Cognomen.

GRande Cor heu breviter, parvoque in corpore vivit;
Luditur à *longo Nomine Vita* brevis.

Ven. P. ALBERTUS de LEONIBUS Mantuanus 1642.

Fundator Cœnobij Castellinæ: ibique antiquæ Sylvarum Observantiæ, ac Vitæ Communis Auctor.

Catulus Leonis habitans in abditis. Ps. 16.

CLaustra pius format, zelans ut Claustra reformet;
Syluas pro Catulis amplificatque *Leo*.

Aliud

Aliud.

Indefeſſus in aſſiſtendo Confeſsionibus; ſummâ charitate infirmis inſerviebat, unde per antonomaſiam dicebatur PATER BONÆ MORTIS; multis ſanitatem oratione impetravit; aliquos è mortis prope faucibus eripuit; potentiſsimus in energumenos, Dęmones ejiciebat; inter alios Filium Nuncij Sacræ Cæſareæ Majeſtatis in Urbe liberavit.

Infirmos curate, mortuos ſuſcitate, Dęmones ejicite. Matth. 10.

ORe potens, culpas, mortem, ſatanamque fugavit;
Solis inoccidui nuncius *Albor* erat.

Aliud.

Fuit in magnâ exiſtimatione apud multos Epiſcopos, Cardinales, Principes, ipſum Imperatorem, & apud Sum. PP. Clementem Octavum, Leonem Vndecimum, Paulum Quintum, Gregorium Quintum decimum, & Urbanum Octavum; multis ex quibus à ſecretis animæ inſervivit, & ab ipſis valde diligebatur, tum propter ejus integritatem, tum propter eximiam humilitatem, quâ ſemper effulſit.

ME obſervant Mitrę, me Purpura, Sceptra, Triregna;
Magnum me reputant, qui nihil eſſe puto.

Aliud.

Multos Hebræos, ac Turcas ad Chriſti Fidem convertit; ipſos albis veſtimentis ſuis manibus induit; Evangelico cibo eorum animas paſcebat; & fundavit publicam Domum pro Catechumenis in Civitate Florentiæ.

In Chriſto Jeſu *per Evangelium Ego vos genui.* 1. Cor. 4.

QVuos genuit Chriſto, *Veſtit*, *cibat* ore; *Domoque*
Excipit; haud poterat verior eſse *Pater*.

Aliud

Aliud.

Linguâ fuit ardentissimus, & efficax. Florentiæ, & alibi correxit muliebrem vestium vanitatem; & inter alias nobilissimam, sed vanam Fœminam induxit ad humillimas vestes usque ad mortem; quæ mortua, apud Patris sepulcrum humari voluit. Erat mirabilis in disponendo ad piam mortem Peccatores infirmos, & induratos. Unum singulariter flammas Inferni flocci pendentem candelâ accensâ ussit in manu; & ex illato dolore sumens argumentum de acerbitate ignis æterni, ipsum convicit; unde pœnitens piè mortuus est. Multa prophetico spiritu prædixit, & precipuè mortem propriam.

Dedit mihi Dominus linguam mercedem meam, & in ipsâ laudabo eum. Eccl. 51.

VAna fugo; sum vita Reis, mihi nuncio mortem;
Os reserare potens, est aperire Polum.

Aliud.

Pauper spiritu, & à Vestium superfluitate abhorrens, solebat cum Paulo dicere: *Induimini Dominum* Jesum *Christum*. Professionem emissurus, omnibus Bonis Paternis renunciavit, dicens, nimis avarum esse, cui Christus non sufficeret. Ut operibus charitatis insisteret, integros dies absque cibo præteribat, & ad se reficiendum rogatus, respondebat: *Ego alium cibum manducare habeo, quem vos nescitis*. Sæpius pernox, Infirmis ministrabat; & corda ipsorum ad Christi amorem mirabiliter convertebat. Moritur amplectens, & deosculans Crucifixum.

Custodi legem, atque consilium, & suavis erit somnus tuus. Prov. 3.

SIC PROBABILITER IN EXTREMA VITÆ PERIODO CHRISTVM DEVOTE FVIT ALLOQVVTVS.

QUi mihi *Vestis* eras, *Thesaurus*, *Mensa*, *Cubile*;
Dulcis nunc *somnus* sis, pie *Christe*, mihi.

Aliud

Aliud.

Nascitur in die Nativitatis Sacratissimæ Virginis. Piè creditur ex hac vitâ ipsū virginem decessisse; unde ejus Cadaver floreo Serto coronatum fuit, & sepultum; post multos annos exhumatum, & intactum, candidumque repertum, ad dexteram Altaris Sanctissimæ Virginis in Ecclesiâ Castellinæ honorificè fuit collocatum.

Vitam agamus in omni pietate, & castitate. 1. Tim. 2.

VIxit, obit Virgo, natus cum *Virginis* ortu;
Virginis inde latus *candida* membra fovet.

P. MICHAEL MANSIVS de Luca.
P. ANGELUS CAMBIUS de Florentia 1642.

Iuvenes singularis expectationis, in Gradu Lectoratus decedunt.

Ad amborum Cognomen verbalis Allusio.

DEserit ima citò meritum, quod celsa requirit;
Mansio cara Polus, *Cambia* grata Deus.

P. HORATIUS ab HORATIIS de Bononia 1643.

Pater Benemeritus, & Divini cultus ex corde zelator; malas videns operationes, promptis, & frequentibus suspiriis corrigebat; unde vulgò *Pater suspirans nuncupabatur.*

Vapor est virtutis Dei. Sap. 7.

ZElat; suspirat; petit exhalatio Cœlum;
Lethifer & vitiis ecce cometa nitet.

P. Mag.

P. Mag. MARIUS DULCINUS de Bononia 1644.

Doctus, & prudens Præsul in Patriâ, & multæ gravitatis aspectu; sed benignissimus genio.

SUm *Marius*, gravitate potens, & dogmate *Consul*;
Sed placidè sapio; sum *Mare dulce* Gregi.

Aliud.

Ex paternâ hæreditate, nec non ex propriâ industriâ congregatis pecuniis, omnes in publicam sui Conventus vtilitatem erogavit; cum esset in proximâ ad Vicariatum Generalem dispositione, contrariâ sorte impeditur, quam tamen summâ animi constantiâ, & tranquillitate derisit; omnibus imposterũ Dignitatibus vale dicens, soli quieti operam dedit, & se ipso semper superior, longævam vitam traduxit. Ejus Insignia sunt *tres Coronæ*, duæ æqualiter sitæ, tertia superiùs.

VIncit opes, Sortemque; *duplex* datur *æqua Corona*;
Ipsum se vincit, *celsior* una datur.

Aliud.

Existunt adhuc quatuor argentea Candelabra, ingens Calix, omnisque alia excogitabilis pro solemni Sacrificio supellex; quæ omnia magno sumptu pro sacro Altari comparavit. Religiosâ morte decedens, æternâ requie perfrui piè creditur.

Nescitis quoniam qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario sunt edunt, & qui Altari deserviunt, cum Altari participant? Cor. 9.
Panem Angelorum manducavit homo. Ps. 77.

SErvit amor *Mensę*; tribuit sibi *Mensaque* Victum;
Architriclinum *Cœna* beata cibat.

P.PAV-

P. PAULUS DE AGOLANTIS
à Ferraria 1644.

Bis Prior humanissimus Conventus S. Pauli Ferrariæ, pacis, & charitatis conservator, & vigilans Præsul. Ut resurgentem tunc temporis observantiam firmaret, suis Fratribus, non in pecuniâ, sed in laneis ipsis indumentis Vestiarium tradebat.

PAscit amore Gregem ; vigilat ; Pastorque benignus
Lanis non spoliat, quin pius ornat *Oves*.

P. JOANNES PETRUS
Lucatellus de Bononia 1645.

Fuit fidus, & amantissimus Socius Vicarij Generalis, deinde zelantissimus Prior sui Conventus Bononiæ.

Ad ejus duplex Nomen, & ad Patriæ Insigne.

Potens est Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, & augebit incrementa frugum justitiæ vestræ. 2. Cor. 9.

COmplet amor *Geminos*; zelus fovet inde *Leonem*;
Floribus, & spicis *Gratia pascit Oves*.

P. PAULUS de TUSSIGNANIS
à Bononia 1645.

Ex numero Sacerdotum, qui in Congregatione vocantur *Patres simplices*; Vir probus, & literis mediocriter imbutus; mente tamen incredibiliter promptus, & subtilibus facetiis, salibusque moralibus incomparabilis.

S*Implicitate* latet, salibus *Sapientia* prodit;
Fortè per hunc hilarem *ludit in Orbe* Virum.

P. ANGELUS MONESIUS de Mutina 1645.

Paternâ dives hęreditate, omne aurum in Dei cultum impendit, & pręcipuè donavit pro Arâ Majori exornandâ sex ingentia Candelabra cum Cruce summi artificii, & valoris.

Vide ergo ne lumen, quod in te est, tenebræ sint. Luc, 11.

PAtris pauperiem non auri *lumen* obumbrat;
Nam *tenebras* nescit, quod nitet ante Deum.

P. M. ANTONIUS GALGANIUS de Luca Vicarius Gener. 1646.

Concionator doctissimus, eloquio suavis, & salibus gratus.

Ad illud: numquid poterit comedi insulsum, quod non est sale conditum? Iob. 6.

VIr sapiens, dulcisque stylo pugnantia junxit;
Nam dedit ore melos, nam dedit ore sales.

Aliud.

Fuit præclarus Theologus, & summus zelator pro studio. Obtinuit facultatem à Capitulo Generali, ut pro suo arbitrio in singulis Conventibus decerneret circa Graduatos, & Studia. Decrevit præmia pro Regentum laboribus. Aliquos non idoneos Lectores Gradu privavit. Nonnullos non satis morigeratos privatione Studij punivit. Et alios immeritò exclusos, ad Gradus promovit.

PAlladis est Judex; fert, aufert præmia, pœnas;
Sed sibi pœna malus, præmia doctus erant.

P.M.

P. Mag. FRANCISCUS MARIA Serbellonus de Mediolano 1646.

Primi nominis Concionator; eruditis ſalibus, & ornatiſsimâ facundiâ refertus; animabus tamen valde proficuus.

SPargo, loquens, flores, fructum pariuntque cadentes,
Semino voce *ſales*, miraque meſſis adeſt.

P. Mag. JACOBUS PONTIUS de Luca 1646.

Vir prudens, & pauciloquus; Magiſter per Breve Apoſtolicum; omnibus carus, & ex affectu dictus communiter: *Jacobinus*.

PAuca loquor, decororque Brevi; Nomenque minoro;
Sola mei virtus expedit omne *Breve*.

P. Mag. ANGELUS GABRIEL Bertachius Lucenſis 1647.

Apoſtolicus, & fructuoſus Concionator; attrahebat multitudinem Auditorum.

PErgama ſunt Navis, mare crimina, retia voces;
Hæc Homo piſcis amat; nam capiendo favent.

P. Mag. JACOBUS MAZZOLUS de Mutina Vic. Gen. 1648.

Serenissimi Ducis Mutinæ Francisci Theologus, doctè scripsit pro tuendis ejus Juribus; & fuit satis ardens, ac zelans Vicarius Generalis.

EST Ducis *Estensis* calamo nitidissimus *ensis*;
Est Ducis *Heliæ flammea* virga Gradu.

Aliud.

Ne Superiores sufficienti pro bono gubernio experientiâ carerent, decrevit, ne quis in Priorem eligi posset, nisi trigesimum ætatis annum attingeret.

Veniunt ad vos in vestimentis ovium &c. Matth 7.

PRÆSUL ADMONET CLAUSTRI PASTORES, NON ESSE RIGIDAM PRO BONO REGIMINE HANC PRÆSCRIPTIONEM, QUÆ PRO EPISCOPIS IPSIS EST IN PRAXI.

GRatia, non rigor est, Mitris æquare Cucullos;
Lanigeros noscit practica sola Lupos.

P. Mag. DAVID MARIA Maletta de Genua 1648.

Zelo, & charitate fervens; cum in Patriâ epidemicus morbus grassaretur, se voluntarium Ministrum infirmis exposuit; & eodem morbo tandem piè decessit.

QUæreret ut Cœlum *David*, venit obvia pestis;
Obvius hic pesti, quærit, habetque Polum.

P.Mag.

P. Mag. VINCENTIUS SICCUS de Luca 1649.

Prædicator Apostolicus valde proficuus ex primis reformatis Castellinæ; pluresque discipulos optimis disciplinis instructos post se reliquit. *Elegi vos, ut fructum afferatis, & fructus vester maneat.* Jo. 15.

FRuctificat, crescit, Claustri Viridaria ditat;
Fructus adhuc remanet; *Sicca*ne planta fuit?

P.Lec. JO: FRANCISCUS PALEA Bononiensis 1649.

Multæ expectationis Philosophus, & Theologus; eruditus Poëta, necnon suavissimus Lyricen; & in communicandis propriis virtutibus mirabilis; multos tam in scientiis, quàm in artibus satis doctos discipulos reliquit; sed in ipso ætatis flore, vix Gradum Lectoratus attingens, surripitur.

SEmina digna dedi Doctrinis, Carmine, Plectro;
Mors *paleam* rapuit; vivida grana manent.

P. Mag. MICHAEL VERNITIUS de Bononia 1650.

Habuit universalem eruditionem in omnibus scientiis, & artibus liberalibus; & fuit Sanctissimæ Inquisitionis Consultor.

EST *Michael* Doctor, Medicus, Jurista, Poëta,
Musicus, & Pictor; *Lucifer* ipse timet.

Aliud

Aliud.

Secundum mentem Doctoris Resoluti suas Theses semper defendit; erat ingenio promptissimus; & brevibus terminis, ac laconicis responsionibus quæcumque argumenta, quantumvis validissima, facilè superabat.

VUlnera pręvideo; moveor *Resolutus* in hostem;
Et Goliath sterno, *parvula saxa* vibrans.

P. MARCUS ANTONIUS de Bernardis à Bononia 1650.

Humilis, zelans, & exemplaris; primò Conversus, & Janitor; postea dignus Sacerdos, & Confessarius, etiam Monialium.

HOstia Diva manûs decorat, quibus Ostia rexi;
Claves non Claustri tracto, sed inde Poli.

P. NICOLAUS BLANCUS Lucensis 1650.

Intellectu purgatus; animo, & moribus candidus; in juventute, vix Lector, morti succumbit.

Ad Cognomen vulgariter desumptum.

QUàm citò Mors tanti *candorem* Patris obumbrat!
Nullum discrimen *cæca coloris* habet.

P.M.

P. Mag. ANGELUS ROBERTUS Rosa Venetus 1651.

Ingenio promptus, prudens, ac magnus animo; corde sincerus; & Venetiis fidus, ac indefessus Congregationis defensor. Erat humeris, & pectore notabiliter gibberosus.

NOmine sum pulcher, merito sed pulchrior intus;
Gibbum ne spernas; pectore *seruo fidem*.

P. Bac. ALEXANDER COACTUS de Ferraria 1651.

Scientificus, & magnæ expectationis; maturâ mente, senili ore, ac gravitate dotatus; in ipso adolescentiæ flore defecit.

ESt gravis, & sapiens; celeri sed morte *coactus*;
Prodidit hunc Virtus; Mors putat esse senem.

Aliud.

Missæ Sacrificio initium daturus, ex apoplexiâ concidit ante Aram, & mortuus est. Fuit Sacerdos multæ integritatis, unde piè credendum, ejus animam in Cœlum evolasse.

Si direxerit ad eum Cor suum, spiritum illius, & flatum ad se trahet. Job. 34

VIr pius ex astris Christum vult flectere ad Aras;
Sed trahit ex Aris Christus ad astra pium.

P. NI-

P. NICOLAUS CAPPELLUS Lucensis 1652.

Singularis ingenii adolescens, de quo maxima spes vigebat. Lector tollitur in viridiori ætate; sed bono nomine superstes, adhuc vivit. Ad ejus Cognomen Italicum, & Insignia *Pileum* præseferentia.

DUm viret, heu rapitur! fallit sed *Nomine* Mortem;
Decoctam ludit *Pileus* hic *viridis*.

P. Mag. CAROLUS CLEMENS Cerrus de Casali Vic.Gener. 1652.

Præsul benignus, sed justus; severus in vitium, & virtutis protector.

ESt *carus*, *clemens*, est & durissima *cerrus*;
Percutit ista malos, grata fit vmbra bonis.

Aliud.

Dirè à podagrâ cruciabatur; unde sæpiùs pro aliquali quiete cogebatur ad lectum; in quo tamen, ut bonus Pastor, pro suis Ovibus omni curâ vigilabat.

Nonne vadit ad illam, quæ perierat, donec inveniat eam? Luc. 15.

LAnea pastoris pedibus dant strata quietem;
Pes tamen haud cessat quærere promptus Ovem.

P. ADAMUS DE LAURENTIS à Ferraria 1652.

Conventum Firmi, licèt multis difficultatibus, & angustiis pressus, intrepidè, & laudabiliter usque ad finem regiminis gubernavit. Prior postea in Patriâ, graves pariter æquo animo sustulit adversitates; quas prorsus tandem generosâ Officij renunciatione decorosè superavit.

FIrmus agit Firmi, Patrię non firmus, habenas;
Corde tamen firmo firmat vbique decus.

P. ALPHONSUS DE GALANTIS à Brixia 1652.

Prior, & sui Gregis amantissimus Pastor. Summâ dexteritate, prudentiâ, & dulcedine se geniis accommodans, facilem, & promptam ab omnibus subditis obedientiam exigebat. Naturalem raucedinem notabilissimè patiens, non nisi submissâ, pressâque voce poterat loqui.

NOscit, amat, propriumque regit benè Pastor Ovile;
Uoce jubet *raucâ*, prompta sed audit Ovis.

P. Mag. JO: MARIA DE NAVE à Mediolano 1653.

Verbi Dei Apostolicus promulgator, zelo, affectibus, & energiâ populos ad se trahebat; & sępiùs Crucifixum extollens, efficacibus verbis animos ad lacrymas excitabat.

Ad duplex Nomen, & Cognomen.

EN *Mare*, *Navis* adest, & *Gratia* ducit in *altum*;
Retia sub *Christi Numine plena* trahit.

Q Aliud

Aliud.

Ad idem argumentum.

Quasi Navis institoris, de longè portans panem suum. Prov. 31.
Non Vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri &c. Matth. 10.

SAcri fert *panis de longè* munera *Navis*;
Hęc venit à Cœlo, quam regit *Aura* Dei.

P. Mag. JO. PAULUS BELLINUS à Mantua Vic. Gen. 1654.

Vir doctissimus, & Textus Aristotelici fidelis sectator.
Alluditur ad ejus profundam doctrinam, & rectissimum gubernium Congregationis. Venetiis moritur, nondum completo regimine.

MEnte Stagiritam, Palinurum conspicis arte;
Doctor, Ductor obit; datque *sepulcra Mare*.

Aliud.

Prioribus rigorosè præcepit observantiam Decreti Sac: Concilii Tridentini *de Residentiâ*, sub pœnâ privationis Officii.

Mercenarius autem, & qui non est Pastor &c. Jo. 10.

ITA PATER DICTAT PRÆCEPTUM.

CUm Grege stet Pastor, cupiat si Pastor haberi;
Expositas linquit non nisi Servus Oves.

Aliud

Aliud.

Injunxit Prioribus obſervantiam pariter Bullæ Clementis Octavi circa Victum communem Fratrum, & inviolabilem Chori frequentiam omnibus, etiam Graduatis, & Magiſtris, actu non legentibus.

Communionis nolite oblivisci; talibus enim hoſtiis promeretur Deus. Heb. 13.

SIC PRÆSVL PATERNE OMNES HORTATVR.

VOs decet, ut Fratres, communis Menſa, Choruſque;
Communis dabitur Vita, meloſque Poli.

P. JO: FRANCISCUS RENATUS Mantuanus 1655.

Per longum tempus Prior Conventus Caneti; Vir pius, & magnus Benefactor. Ipſemet ſuis laboribus, & induſtriis ad majorem Dei gloriam totum prædictum Conventum, nec non Eccleſiam magnificâ, eleganti, & firmâ ſtructurâ ædificavit, & uſque ad mortem piiſsimè rexit, licèt utroque oculo cæcus eſſet.

CÆcus Amans dat Clauſtra Deo pulcherrima viſu;
Dat, neque Dona videt; ſed videt ipſa Deus.

P. CAROLUS à TURRE de Mantua 1655.

Apoſtolicus, & ferventiſsimus Concionator; ardenti, & putridâ febre correptus Fatum ſubiit Abulæ in Hiſpaniâ; ibique in Templo D. Tereſiæ tumulatur.

PEctus, & os fervens calidas Hunc traxit ad oras;
Flamma impura rapit, *Flammea Virgo* tenet.

P. JO: PETRUS BOCCHIUS de Florentia 1656.

Doctor Pisanus; ortu Florentinus; suavis, & gratus moribus; Pastor providus, & exemplaris. Cum allusione ad ejus geminum Nomen.

LAurea dat *Frondem*, mos *Florem*; Virgaque fructum;
Pro Gregibus *Petri Gratia* nulla deest.

P. NICOLAUS DE GIROLAMIS Romanus 1656.

Musicæ Moderator præclarus; suavibus, magistralibus, & harmonicis Compositionibus admodum excellens, & famosus.

CAntores ad dulce melos Patris arte moventur;
Fama sequens modulos, dulcis & ipsa canit.

P. ADAM REDINUS è Florentia 1657.

Zelantissimus Prior Conventus Genuæ.
Ad Nomen ipsius, & Monasterii, quod dicitur Angelorum; *ad situs amœnitatem; ad vitæ regularis observantiam sub ejus gubernio, & ad ejus mortem ex pleuritico morbo.*

ANgelicę vitę *Paradisum* possidet *Adam*;
Sed, licet innocuo, fert sibi *Costa* necem.

P. M.

P. Mag. ALBERTUS RICCIUS de Mutina 1659.

Zelans Præſul, ſed corde benignus; facilè iraſcebatur, facilè amorem reaſſumebat; vehementi Sæculi vexatione conſternatus, febre corripitur, & in principio Regiminis obiit Prior.

Alluditur ad ejus Cognomen Italicum, & ad Stemma Hiſtricem *præſeferens, nec non ad ipſius hiſtricis proprietatem, qui offenſus, in orbem ſe claudit.*

Quos amo, arguo, & caſtigo. Apoc. 3.

Exaltatus autem, humiliatus ſum, & conturbatus. Pſ. 87.

DIligo quos pungo; *Caput* impero mite, ſeverum;
Sed metuens *hiſtrix*, cum *pede* Jungo *Caput*.

P. Mag. NICOLAUS ADAMUS de Mutina 1660.

Fuit Conſultor SS. Inquiſitionis in Patriâ, & Prior prudens, ac zelans ſui Conventus.

COnſultor Satanam, Dux crimina pellit *Adamus*;
Anguis Tartarei nil timet *iſte* dolos.

P. M. SEBASTIANUS BURGHIUS à Bononia Vicarius Gener. 1661.

Creatus Vicarius Generalis per Apoſtolicum Breve Alexandri Septimi, favente Illuſtriſsimo, ac Reverendiſsimo Prælato de Alteriis, qui poſtea fuit Clemens Decimus, & conceſsit Patri aliud Breve Prioratus perpetui in ſuæ Patriæ Conventu.

PRomovet Huic *Sidus*, complent ſex *Sidera* ſortem;
Aſtraque jam *ſeptem* ſunt *Cynoſura* Duci.

Aliud

Aliud.

Facillimè omnium genio se accomodabat; & Principum animos mirabiliter alliciebat; sæpe rexit; declaratus per Pontificium Breve Prior perpetuus Conventus Bononiæ, mox fato succumbit.

Vt plures lucrifacerem, omnibus omnia factus sum. 1. Cor. 9.

MIrè animos *lucror*; mirè *omnibus omnia fio*;
Sed frustra in terris *perpetuare* putem.

P. Mag. JOSEPH TOSIUS de Ferraria 1661.

Fuit vigilans,& humanus Prior in Patriâ; pro sui Conventus indigentiis Bononiam petiit, ibique ex abundanti sanguinis vomitione ultima Fata subivit.

Allusio ad Evangelicum Pastorem, Jo. 10. *qui Animam suam dat pro Ovibus suis*.

CUrat Oves, vigilat; patitur; nece monstrat amorem;
Exhaurit venas pro Grege Pastor amans.

P. LUDOVICUS MARIA de Vecchis à Bononia 1661.

Ad zelum; perfectam Regulæ observantiam; peculiarem erga S. Virginem Tesesiam devotionem, propter quam transivit ad Patres Discalceatos; & ad Cognomen.

Renovamini spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem. Eph. 4.

NOmine, mente *senex*, discit renovare se ipsum;
Fit sibi *Mater* amans, quę fuit alma *Soror*.

P.AN-

P. ANGELUS ALBERTUS de Sacchis à Bononia 1662.

Erga D. Chrysogonum Congregationis Tutelarem singulariter devotus; & in propriâ effigie depictâ eundem Sanctum simulavit.

Amicus fidelis protectio fortis. Eccl. 6.

Vivo autem, jam non ego. Gal. 2.

MEns mea Tu solus; *faciem* Tibi, corque dicavi;
Sis, rogo, *Protector*; factus es *alter ego*.

P. M. SERAPHIN. VANNINIUS de Luca 1663.

Jucundâ, & ornatissimâ excellebat facundiâ; in juventute phthisicus moritur.

MEns vivax; & vita brevis; mors fluxio salsa;
Cor *salibus* rapui; me rapuere sales.

P. JO: PETR. MONTECALVUS à Bononia 1663.

Vir genere nobilis, & moribus integer; proceræ admodum, & quadratæ staturæ; fuit Prior in Patriâ, & Pater Jubilęatus. Gentilitium Stemma sunt *Montes*.

Regnum Cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Matth. 11.

M*Ontibus* insurgit Cor magnum, *maxima moles*;
Sed meritis pugnans, Regna beata rapit.

P.M.

P. Mag. JOANNES RICCIUS à Bononia 1664.

Sapiens, & liberalis Præsul in Patriâ; famosus Theologus; peritissimus Astronomus; Mathematicæ in Patrio Archigymnasio publicus Professor. Improvisâ syncope tollitur è vivis.

SPlendida frena regit; sapiens Sol imperat Astris;
Subditur *Eclipsi*; *deliquioque* latet.

Aliud.

Vir pius; & cultus Divini studiosus; nobilibus ex omni colore Casulis ditavit Sacrarium,

PLanetis observo Deum, studiisque *Planetas*;
Non nisi res Cęli mens benè docta sapit.

Aliud.

Mathematicas doctrinas, & Astronomicas mensuras, proportiones, vel distantias in qualibet suâ Concione discretè inserens, & morales postmodum evidentias ex ipsis deducens, eruditè simul, & fructuosè audientium animos delectabat.

QUæque mathematicis ornatur Concio metris;
Mensurat mores, signat ad Astra vias.

Aliud

Aliud.

In converſando parum cultus, antiquorum Philoſophorum libertate procedebat; in familiaribus verbis, eorumque accentibus erat maternus, & popularis; apertè ſemper, ac ſincerè, nullo habito humano reſpectu, loquebatur; & omnium, etiam Amicorum defectûs ore rotundo in faciem redarguebat. Cor tamen habuit mite, gratum, & dulce; licetque ad iram naturaliter tenderet, facillimè ſtatim ſe componebat. Stemma ipſius Gentilitium *Caſtaneam Arborem fructibus gravidam* exponit.

NObilitat *Plantam Fructus* tam gratus *avitam;*
Aſper in *externo*, *mollis* & *intus* erat.

Aliud.

Patrium regens Monaſterium anno 1648. quo pleraque pars Italiæ maximâ frumenti penuriâ premebatur, tam prudenti uſus eſt oeconomiâ, ut nullo ſenſibili Conventus incommodo, ipſum abundanter hic bonus Paſtor providerit.

SOrs pugnat, ſed vincit Amor; Pater horrea replet;
Fit caro ex victu carior Ipſe Gregi.

Aliud.

Author fuit Ejus affinis in ſæculo, & ab Ipſo Sacrum Religionis Habitum ſumpſit.

AVTHOR IPSE.

QUem dedit affinem Mundus, Clauſtrumque parentem,
In Cœlis fratrem da mihi, Chriſte Pater.

P. Mag. JULIANUS SYLVA de Regio Vic. Gen. 1664.

Suavis genio, gratum, & rectum incepit gubernium, sed ictericus morti cedit in actu Visitationis.

HEu perit *ictericus*, Cęli qui *mulsa* propinat;
Sparsus felle nequit vivere dulcis Amans.

Aliud.

Probus Vir; ad iram facilis, sed confestim placatus; & semper linguâ moderatus, & honestissimus.

Si quis putat, se Religiosum esse, non refrenans linguam suam, hujus vana est religio. Jac. 1.

ESt mihi cor placidum, brevis ira, modesta loquela;
Frena meis labiis pono, deinde Gregi.

P. M. MART. BISANZINETTUS de Mediolano 1664.

Ad Apostolicam eloquentiam in Suggestu, quâ peccatores mirè lucrabatur, probos confirmabat, & magis accendebat, omniumque mentes illustrabat. Venetiis clausit dies suos.

Vos estis sal terræ. Matth. 5.

PUrgo malos, *conservo* bonos, & *condio* mentes;
Terræ sal fueram, sum decus inde *Maris*.

P. Mag.

P. M. HYACINTHUS A TVRRE Asculanus 1664.

A Cappucinis transmigravit ad Heliam; & in Congregatione creatus Magister, inde Socius Vicarij Generalis, magnæ virtutis specimen dedit.

Helias quasi *Helios*.
Et ad illud.
Christi bonus odor sumus. 2. Cor. 2.

DIligit hunc *Florem*, Carmeli & nutrit *Apollo*;
Optimus est Christi sic *Hyacinthus* odor.

P. M. THEODOR. MUGGIANUS è Mediolano 1665.

Præclarissimis dotibus fulgens; moribus gratus; & universaliter dilectus, & carissimus; supremum Caput esse meruit, sed non fuit.

ME peramant Patres; Capitis nec munere donant;
Par decus est Nobis esse *Cor*, esse *Caput*.

Aliud.

Magna spes de illius proximâ assumptione; sed nephritico morbo preventus, pijssimè occumbit.

PRoh quales latitant mundana per Æquora Syrtes!
Cum prope Portus adest, sistit *arena* Ratem.

P. HIERONYM. PELAGALLUS de Asculo 1665.

In construendis Horologiis Solaribus perfectissimus; quæ varijs,& artificiosissimis modis ubique situum infallibili methodo componebat.

SE Pater æternat, spatiis dum limitat Horas;
Nominis huic lucem Gnomonis vmbra parit.

Aliud.

In dignoscendis, & clarissimè distinguendis metallicis Antiquorum Numismatibus, Iconibus, eorum ritibus, ac temporibus excellenter eruditus.

OMne vetus Sæclum potui mihi reddere pręsens;
Me quoque præsentem sæcla futura canent.

P. Mag. CLAUDIUS SURCHIUS de Ferraria 1665.

Vir exemplaris; & acerrimus vitiorum reprehensor; oculorum suffusione fit cæcus.

Melior est manifesta correptio, quam amor absconditus. Prov. 27.

QUę malè gesta videt, Cynico sermone flagellat;
Non silvit cæcus; verbera cæca dedit.

P. M.

P. M. PHILIPPUS PACARONUS de Firmo 1666.

Ex Carmelitis Discalceatis ad Carmelitas Congregatos.
Ut dignè ambuletis vocatione, quâ vocati estis, unum corpus, & unus spiritus, sicut vocati estis. Eph 4.
A PIO LECTORE ELUCIDANDUM ÆNIGMA.

CLaustra sinit, retinet, Genitus, Fraterque Teresę;
Nudus, & indutus, pes fugit, atque manet.

P. ANGELUS SINIBALDUS de Ferraria 1666.

Fidelissimus, exemplaris, & beneficus Sacrista S. Pauli Ferrariæ; multoties ad id munus electus; ac tandem per Breve Pontificium vitâ durante confirmatus. In suâ morte non aliam pecuniam, quàm Romani Scuti dimidium reliquit.

SÆpe sacras tractauit opes, & pauper obivit;
Quę sunt nempe Dei, jam dedit Ipse Deo.

P. M. JO: BAPT. CATALANUS à Bononia 1667.

Facundus admodum Concionator; omnes ferè Cursus Quadragesimales Venetiis complevit; fuitque multis Venetis Proceribus pergratus, & familiaris, dictusque per antonomasiam *Torrens Bononiensis*; ortu erat Felsineus; sed adscitus in filium Conventus Mutinæ.

FElsina dat *Fluvium* Rostris, Mutinæque decorem;
Clarior hæc fulget *Flumine*, quam *Situlâ*.

P. IO.

P. JO: BAP. FRANCESCHINUS de Mutina 1667.

Multæ pietatis religiosus; & ex assiduâ mortis meditatione valde laudabiliter vixit. Obtinuit facultatem à Sac. Congregatione, ut sepeliretur in particulari Ecclesiæ loco, & reponeretur in Capsâ, sibimet à se ipso præparatâ; in quâ, vivens adhuc, corpus extendit, ut probaret, an benè aptaretur.

Memorare Novissima, & in æternum non peccabis. Eccl. 7.

QUærit opes Cœli, prudensque recurrit ad *Arcam*;
Thesauros Vitę nam pia Capsa tenet.

P. ANGELUS BENAZZOLUS Brixiensis 1667.

Vitâ integerrimus, & zelantissimus. Novitiorum Magister, cujus custodiæ per longum tempus commissi fuerunt; licèt doctus, & eruditus, non ipsos in literis humanis occupari sinebat, sed in solo Dei timore, pietate, ac Regulæ observantiâ per totum annum Novitiatus diligenter exercebat.

NOn literis ornat, pietate sed armat Ovile;
Angelus est *Custos*; Cœlica sola docet.

Aliud.

Perfectus licèt Paupertatis amator, nobili tamen argenteo Thuribulo, ex eleemosynis confecto, Sacrarium auxit. Fuit pjissimus Pater, & Dei amore succensus, assiduis orationibus vacabat; quin sępe sępius ipsis noctibus ante Aras Ecclesiæ per multas horas ferventes preces effundere visus fuit.

T*Huribulo*, sed mente magis *colit Angelus Aram*;
Corde parat prunas, grataque thura prece.

Aliud

Aliud.

Singulari ornatus modeſtiâ, ſemper demiſsis oculis incedebat; erat operibus, & corde mundiſsimus; gradiens per Conventum, ſi quas vidiſſet vel paleas, vel ſimiles alias, quantumvis minimas immundities in terrâ, ſufferre non poterat, ſed ſtatim diligentiſsimè auferebat, & ſolum mundabat.

QUæque ſubeſt *oculis* terrę feſtuca *modeſtis*;
Tollitur, & *mundam* nec fugit una *manum*.

P. JOANNES MAR. MATELLUS Florentinus 1667.

Laicus per aliquod tempus Congregationi ſervivit; deinde ad Sacerdotium evectus, & brevi creatus Prior Murochi, Conventum ita reſtauravit, & auxit, ut prorſus novum nobili formâ reddiderit; quem poſtmodum ad mortem uſque multâ pietate gubernavit.

JAm clauſtri Famulus, modò Dux, Benefactor, & Auctor,
Nobiliùs ſervit Patribus, atque Deo.

P. VIRGINIUS PALÆOTUS a Bononia 1668.

Ortus Nobilitate, ac morum ingenuitate fuit conſpicuus. Humilis genio à Dignitatibus abhorruit; & Marchionem Camillum de Palæotis ejus conſanguineum, ſibi Epiſcopatum ſeriò procurare volentem, a propoſito deſiſtere coëgit; ſummâ animi tranquillitate vixit, & piè, ac intrepidè moriens, jocis, & facetiis mortem ipſam excepit.

REſpuit Hic Mitras, ſibi vixit, lætus obivit;
Pompis non preſſo mors leue pondus erat.

P. L. E.

P. LECTOR GILBERTUS de Bornonis à Bononia 1668.

Multa in Concionibus efficaciâ pollebat, & in tali munere majora semper promittebat; sed, vix Lector, Fata subivit. Erat oriundus ex Gallia.

NUncius heu superi Solis, citò *Gallus* obivit;
Impulit ad fletum *cantibus*, atque nece.

P. Mag. JO: CHRYSOSTOMUS Berzuinus de Ferraria 1668.

Prior Ferrariæ, inde Procurator Generalis; zelanter rexit in Patriâ abusûs eradicans, fovens virtutes, & studia, humanus genio, suavi rigore pertinaces corrigebat, & eorum corda lucrabatur.

Ad Nomen, & antonomasticum Titulum S. Jo: *Chrysostomi:*
Posside sapientiam, quia auro melior est. Prov. 16.

HIc Patrię *Ferrum* pietate reducit in *aurum*;
Aureus ore jubens, *aurea* corda facit.

P.Mag. JO:BAPTISTA POSANUS de Mantua 1668.

Vir semper lepidus, & urbanus; mortalis vitæ intrepidus contemptor; diuturnam patitur phthisis infirmitatem, & in ipsâ morbi gravitate hilaris, & facetus de propriâ morte sępius discurrit.

Ad illud: Et cognovi, quod non esset meliùs, nisi lætari, & facere benè in vitâ suâ. Eccl. 3.

VIxit, obit lętus; mortem vocat, ipsa moratur;
Territa viluerat, nam repetita jocis.

Aliud

Aliud

Fuit dignus Præsul in Patriâ, & Theologus Serenissimi Ducis Mantuę; religiosè vixit; & ægrotans, impavido, ac hilari animo mortem expectat.

Ad illud: Fortitudo, & decor indumentum ejus, & ridebit in die novissimo. Prov. 31.

QUid pia mens timeat, *Forti* vestita *decore?*
Extremo rident corda serena *die*.

P. Magister BENEDICTVS Burlamachius de Luca 1668.

Præstans Theologus, & Concionator; Vir summè eruditus, & facetus; ingenuæ libertatis in loquendo; & maximopere liberalis. Hypochisi excæcatur.

EN studio, salibus, risu Democritus alter;
Ore, manu est liber; denique *cæcus* obit.

P. M. DOMINICUS MUGGIANUS è Mediolano Vic. Gen. 1669.

Divini cultus zelator; pro Amicis summopere ardens, & à muneribus immunis. Moritur ex Hydrope.

I*Gneus* est zelo; *fervens*, & Fortis amicus;
Tot potuit *Flammas* vincere solus *hydrops*.

Aliud.

Pecuniis proprio labore acquisitis, nobiles Albas, pretiosissimas Casulas, elaboratissimum Calicem argenteum, Pallium pariter argenteum magni valoris, & aliam dignam supellectilem pro Arâ principe Patrii Templi exornandâ comparavit.

Ubi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum. Matth. 6.

DIvitiis, animo totus resplendet in Arâ;
Cor cum *Thesauro* sacrificatque Deo.

P. ELISÆUS BONETTUS à Mediolano 1669.

Summo zelo, & exemplaritate rexit in Patriâ. In Choro præcipuè, cui semper die, ac nocte assistebat, pro cæremoniis, inclinationibus, modestiâ, & devotione servandis valde urgebat, omnique applicatione laborabat; & cum pariter cantus perfectione præstaret, ac sonorâ voce præditus esset, totum Chorum moderabatur, & canentium Fratrum voces firmiter sustinebat.

ORa movet, mentesque Gregis; vigil adstat, & urget;
Os regit, Os cantat, Fertque canendo Crucem.

Aliud.

Fuit perfectus, & ornatissimus Librorum Chori Conscriptor, quibus plures Conventûs ditavit. Instituit etiam Librum pro Fratrum defunctorum memoriâ, in quo eorum præcipua gesta, virtutes, beneficia, & promerita encomia descripsit, & imposterum describenda ordinavit.

DAt calamus laudesque Dei, laudesque Virorum;
Sed calami laudes dat nota quæque sua.

P. JOANNES FRANCISCUS Ganacetus à Mutina 1669.

Perfecto amore, victus abundantiâ, & ſubditorum tranquillitate multos rexit Conventus. Erat vultu gravis, & Saturninus; diutiſsimè vixit; & die Sabbathi mortuus eſt.

LEx, amor, & victus ſuperant Saturnia Regna;
Saturnus vindex aurea Sæcla rapit.

P. PETRONIUS DUCIUS à Bononia 1669.

Amœnus, & dulciſsimus Lyriſtes; ſuam tamen artem in ſolis Eccleſiarum muſicis Choris ſemper exercuit.

ORpheus ecce ſacer; Cœlos, non Tartara mulcet;
Aſtraque non Citharam, ſed pia Corda trahunt.

P. ANTONIUS de BERSANINIS à Mutina 1670.

In aſsiſtendo Confeſsionibus indefeſſus; & a ſecretis animæ Sereniſſimorum Principum Cæſaris, & Borſi ex Ducali Eſtenſium Familiâ. Prior Conventus Mutinæ, conſiderabilem pecuniæ ſummam expendit in beneficium Eccleſiæ, Sacrarii, ac Refectorii; nobilemque Bibliothecam conſtruxit.

COrda Ducum rexit, Dux Clauſtraque fecit opima;
Abſolvens, ſolvens, donat, emitque Polum.

P. JULIUS de LOTTINIS à Florentia 1670.

Sæpius Prior, & magnus divini cultus zelator, Choro præcipuè semper assistens, Fratres omnes ad ipsum inviolabiliter convocabat; nonnullos Libros pro Choro eleganter conscripsit, & pro sacris psalmodiis maximam commoditatem reliquit.

CUm Grege laudo Deum; post me ne Cantica cessent,
Laudes in scriptis morte relinquo Gregi.

P. M. ALBERTUS MENGHIUS à Corrigio Vic. Gen. 1670.

Septuagenarius eligitur in Vicarium Generalem, & obit in Officio.
Senectus venerabilis est, non diuturna. Sap. 4.

DUx fit, obitque, senex; hyemalem dicito Solem;
Nascitur ecce piger, sollicitusque cadit.

Aliud.

Vir multæ pietatis; pluries apoplecticus in eâdem infirmitate; in quâ incessanter orabat, & psallebat; ultimâ vice in linguâ offensus, morti cedit.

Vivet anima mea, & laudabit te. Ps. 118.

SI nequeo laudare Deum, quid vivere mundo?
Spiritus ah linguam quærat in axe novam.

Aliud

Aliud.

In ejus mortem etiam nephriticus morbus conspiravit; quem patientissimè tolerans, exemplari obitu decedit.

DEbitor heu vitę, summam malè *calculus* æquat;
Creditor at Cœli, *calculus* æquus adest.

P. M. BERNARDINUS RUINA de Ferraria 1670.

Multis dotibus præfulgebat; frequentes, & graves passus fuit tribulationes, quas patienter sustulit; & brevi vixit.

Quod in præsenti est momentaneum, & leve tribulationis nostræ, supramodum in sublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis. 2. Cor. 4.

MUndus ad ima trahit; meritum me vellet in auge;
Sorte levor Cœli; sicque *ruina* brevis.

P. SIGISMUNDUS GNOLIUS de Ferraria 1670.

Pater Benemeritus; Prior humanus, & discretus, magnusque sui Conventus Benefactor; è vivis tollitur in Officio, cancri malignitate corrosus.

DUx, Benefactor obit; stimulat Sors invida Fatum;
Et piger, heu, Cancer fit rapiendo celer.

P. M.

P. M. LACTANT. SIMEONIUS de Mantua 1671.

Sacræ Theologiæ Magister, ac suavissimus Lyricen; dulcis tàm in docendo Fidem catholicam, quàm in tractando musicas fides.

SUm *Fidei* Doctor; *fidium* sum ductor amœnus;
Dulcis ab *auditu* singula nostra *Fides*.

P. OCTAVIUS FRANZONUS de Brixia 1671.

Fuit Diffinitor Generalis, & Prior in Patriâ satis attentus, & vigilans. Magis tamen religiosam solitudinem dilexit; cujus gratiâ, suis functus muneribus, ferè semper ruri moratus est.

PLus cupis esse Pecus ruri, quàm Pastor in Urbe;
Te facit Vrbs aliis vivere, Villa tibi.

P. BERNARDINUS ASCANIUS de Brixia 1671.

Pater Benemeritus, & sępius Prior; aspectus, vocisque gravitate, ac zeli ardore metuendus; Virtutepræditos diligebat; Studia protexit, & illustravit.

FUlminat in vitium, lucem sapientibus affert;
Nam regit *Ascanii cœlica flamma caput*.

P. VINCENTIUS SIGNORIUS de Salodio 1671.

Pater Benemeritus, & dignis qualitatibus ornatus. Venetiis apud Serenissimum Ducem defendit Jura Congregationis.

Ad Urbem maritimam Venetiarum, ejusque Insigne; Ad protectionem Sacratissimæ Virginis, quam solemni Missâ invocavit, & ad victoriam, quam favorabili decreto est consequutus.

V*Irgo Maris* mihi prompta favet, *Virgoque Maria*;
Me *Leo*, *Virgo* fovent; proxima *Libra* regit.

P. M. JOSEPH MARTINELLUS de Mantua 1672.

Pauciloquus, & verbis frigidus; charitate admodum fervens; præ magnâ pietate facilis ad lacrymas; & ne dum propter corporis constitutionem, verùm etiam propter nimias abstinentias, tantæ siccitatis, ac gracilitatis, ut vulgò *Macer* diceretur.

F*Rigidus*, & *calidus* Cœlo studet, *arsus*, & *humens*;
Condidit hoc dignum Dextra superna *Chaos*.

Aliud.

Jejunia Regulæ diligentissimè observabat; erga Sacratissimam Synaxim summopere devotus; & vocatus ad Sacrum faciendum promptissimus, etiam horis incommodis. Vixit longævus, & semper sanus.

Pinguis est panis Christi : Eccl.

OMEN DIUTURNITATIS AD PATREM.

F Elix vive diu; nutrit te *Regula* victu;
Ex gracili *pinguem Mensaque sacra* facit.

Aliud

Aliud.

Domesticis detentus negotiis, ingressum in Religionem per aliquot annos distulit; se tandem mundanis omnibus expolians, Sacratissimæ Virginis Habitum sumpsit. Opere, ac verbo exemplarem semper, tam sæcularis, quàm Religiosus, præsetulit puritatem.

Alluditur ad Joseph Ægyptium.

MUndi *mœcha* Fides mundum nimis urget Joseph;
Deserit Hic *Vestem*, dat sibi *Virgo* novam.

Aliud.

Exemplariter taciturnus, paucissima verba, istaque semper ad instruendum, & corrigendum loquebatur. Aliorum confabulationibus unam quandoque Syllabam tantùm, quin vel unam solummodo vocalem literam materno idiomate opponens, gravem sensum innuebat, & Fratrum defectûs, laconicâ quidem, sed acri exclamatione damnabat. Literam verò *R* in pronunciando sic violenter exprimebat, ut ab omnibus talis modus pro singulari notaretur.

VErbosos potuit literâ confundere solâ;
Mordebat culpas, ipsa *Canina* favet.

P. Mag. SEBAST. TORELLATIUS de Florentia 1672.

Doctor Collegiatus; Examinator Synodalis; Sanctissimæ Inquisitionis Consultor; magni consilij, & existimationis in Patriâ; nec non Serenissimi Ferdinandi magni Ducis Hetruriæ percarus Theologus.

COnsiliis populos, Hetruscos rexit & *Orbes*;
Et Ducis, & Patrię Duxque, Paterque fuit.

Aliud

Aliud.

Præsul amans, & amatus in Patriâ; Sanissimis doctrinis, & vividâ memoriâ præditus, ac in illustrandâ Observantiâ, & Conventus Oeconomiâ indefessus. Ejus Insigne *Taurus.*

F*Loret* amor; mens docta *viret*; *Taurus*que laboris
Pascua luce colit; Ver stat in auge Gregi.

P. ANTONIUS PETTINARIUS de Novellaria 1673.

Humanis, & Divinis Literis eruditus; sed nullo Gradu in Congregatione decoratus; septuagenarius tamen creatus Magister per Literas Apostolicas, mox migrat in Cœlum.

Ad illud: *Qui bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirent.* 1. Tim. 3.

L*ittera* fert *sortem*; varians mox *littera mortem*;
Dando *Gradum* Virtus, fit gradus ipsa Poli.

P. Mag. ÆMILIUS BONDEUS de Bononia 1673.

Scientiis, aliisque præclaris dotibus illustris; vigilans Præsul in Patriâ, & omnibus carus. Ad *Solem in oriente*, *ac ad Bovem*, Stemma Gentilitium.

Cęlesti Tauro subditur Felsina.

SPlendet inocciduus, Patrię *Sol* semper in *ortu*;
Fortis & in *Tauro*, *subdita* corda fovet.

T Aliud

Aliud.

Mirabilis memoriæ in recenſendo Hiſtorias, & earum tempora. Obit Calendis Januarij de mane.

BElla, Duces memorat; mortes diſtinguit, & annos;
Annum ſed propriȩ vix videt ipſe necis.

P.M.DOMINICUS FABRETTUS de Ferraria 1673.

Fuit amans, & gratiſsimus Præſul ſui Conventus Ferrariæ; crudeli capitis dolore diutiùs oppreſſus, tandem communi mœſtitia ſuccumbit.

DUlce Caput rexi; cephaleâ ſternor amarâ;
Turbat adhuc *Capitis* languida *Membra* dolor.

P. JOSEPH DE FABRIS à Bononia 1673.

Moribus innocens, & placidiſsimæ naturæ; frequentiſsimè inter familiares diſcursûs proferebat: *Jeſus Maria*; religiosè obdormivit in Domino.
Ego ſum Vita. Jo. 14.
Vita, dulcedo, & ſpes noſtra, ſalve. Eccl.

SEmper in ore *Maria* prȩeſt, & ſemper J*eſus*;
Eſt animam ſlanti pervia *Vita* duplex.

P.BA-

P. BACCALAUR. VINCENTIUS Seriolus de Brixia 1674.

Erat ingenio valde perſpicuus; vix Baccalaureus, Studij Regens in Patriâ creatus fuit, quod munus ſolis Magiſtris conferri ſolet; paulò poſt in juventutis flore Fato ceſsit. Cum verbali alluſione ad ejus Nomen, & Cognomen.

PRæripit Hic palmas; Virtus compenſat & annos;
Viva manens, *vincit ſeriò* fama necem.

P. Mag. PAULUS ANTONIUS Bovius è Bononia 1674.

Clarus in Cathedris, & in Suggeſtu. Obit Mediolani in actu prædicationis, habitâ ultimâ concione, *de fallacijs hujus mundi, & de omni ſpe in Deo reponendâ.*

L*Vx* Populi, extinguor; dans vitam, termino vitam;
Fidere non mundo prædico voce, nece.

Aliud.

Fidus Achates, & Conſiliarius iu omnibus P. Magiſtri Sebaſtiani Burghii, quem in gubernio direxit; & quod aliis ordinandum conſulebat, ipſe priùs faciebat.

Amborum Stemmata ſunt *Boves;* & Pater erat major ætate, ac profeſſione ipſomet Burghio.

Excipe doctrinam, & quaſi is, qui arat, & qui ſeminat, accede ad eam, & ſuſtine bonos fructus illius. Eccl. 6.

IPSE PATER LOQVITVR.

DIrigo; jungo manum; regit aptus aratra Colonus;
A *Bove* majori diſcit arare minor.

Aliud.

Facie admodum ſerius, & ſeverus, ſed in congreſsibus lepidiſsimus, ac etiam urbaniores ludos animi gratiâ exercens.

Qui cognoſcit in judicio faciem, non bene facit. Prov. 28.

AD LECTOREM.

UT genium videas, hominis ne reſpice vultum;
Judicium ludit luſibus Iſte ſuis.

P. M. PAULUS DE GATTIS à Luca 1675.

Variis ſtudiis, & præcipuè Libris Hiſtoricis fuit ſummopere deditus; malâ corporis habitudine propter aſsiduam applicationem affectus, ac in lecto per ſexdecennium detentus, tandem lumina clauſit.

ALgeo, ſudo, lego, ſtudeo, noto, diſco; quid inde?
Me à *Lecto* ad *Lethum Littera* ſola trahit.

Aliud.

Patientiſsimè, ac hilariter longam ægritudinem toleravit; & delicioſum prædium ex Bonis Paternis omninò tradidit Monaſterio, ut à curis exemptus, liberè animæ ſuæ conſulere poſſet.

FOrtis amat pœnas, & Villas temnit amœnas;
Non niſi delicias expetit Elyſias.

P. M.

P. M. VINCENT. CARIGNANUS de Luca 1676.

Eruditus, & exemplaris Superior. Electus denuo Prior sui Conventus Lucæ in Capitulo Generali Romæ, dum pergit in Patriam, morte in itinere prævenitur.

Non habemus hic permanentem Civitatem, sed futuram inquirimus. Heb. 13.

DUx Patriam quæro; Mors obstat; cæca sed ipsa
Me gerit in Patriam; Patria nostra Polus.

Aliud.

Fuit sapiens, & prudentissimus Socius Authoris Congregationem regentis.

Quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? 1. Cor. 4.

LOQVILVR AVTHOR IPSE.

ME Duce non digno si quę prudentia rexit,
Hanc retuli à *Socio*; *glorior*, & *fateor*.

P. M. SERAPHINUS GEORGIUS de Luca 1676.

Altus, & purgatus Theologus, tum Scholasticus, tum moralis; ac Apostolicus Concionator.

MEnte Polum penetrat, *Seraphim* supremaque scandit;
Proximus est *Solio*, lumina *pura* capit.

Aliud

Aliud.

Docuit in Patriâ Scholasticam, & moralem Theologiam omnes ferè Lucensis Diœcesis Presbyteros; & ipsum Cathedralis Ecclesiæ Seminarium.

Ad Cognomen Georgius Agri Cultorem *significans.*
Multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum justitiæ vestræ. 2. Cor. 9.

M*Vltiplicat* fruges divis *Agricultor* in arvis;
Et sacer *Hortus* adhuc *semina* viva tenet:

P. Mag. GEORGIUS CLERA de Brixia 1676.

Ad congenitam ipsius in genibus, ac infimis partibus paralysim; ad suave regimen in Patriâ; ad ejus vitæ brevitatem; & ad patrias Ferri fodinas.

DEbilis ex vtero, Matrem rego, tollor acerbus;
A *Matris* gremio *Ferrea* Fata tuli.

Aliud.

Vir bonus, & multæ simplicitatis; nervorum debilitate claudicans, immaturè rapitur.

Allusio ad invitatos in Evangelio.
Exi citò &c. ac debiles, & claudos introduc huc. Luc.14.

D*Ebilis*, & *claudus*, pellor citò Fata subire;
Ad superam *Cœnam* me vocat altus Amor.

P.M.

P.M.MATTHÆUS de MICHELIS Lucensis 1676.

Pater probus, & obedientissimus; & promptus in omnibus inservire Congregationi. Ultimo suæ ætatis anno Româ mittitur ad Conventum Sylvarum; inde creatur Prior Conventus Montis boni Diœcesis Sutrii, ex quo ad Cœlum evocatur.

ÆNIGMA OBEDIENTIÆ.

POst *Urbem Sylvę*; post *Sylvas* culmina *Montis*;
Ad *Montem sanctum Mons bonus* inde vehit.

P. Mag. JACOBUS MARUFFUS e Venetijs 1676.

In utroque Jure fuit admodum versatus; aptissimus idcircò Procurator Generalis; & insignes Causas agitans Venetiis, multarum litium triumphator evasit.

DUx fuit Astreę, Terrisque refulsit ut Astrum;
Judicium Lances, armaque lingua tulit.

Aliud.

Insignis etiam Theologus, & tam in Cathedris, quàm in Foris, promptus ad Disputationes, & indefessus ad Lites.

PAlladis, ac Themidis peramavit prælia; *bellum*
Si *vita est hominis*, vixit Hic absque pari.

P.M.

P.Mag. ALBERT. SCACCHINUS de Parma 1676.

Ore, & calamo undequaque eruditus, & sapiens; longævus vixit.
Sapiens in populo hæreditabit honorem, & nomen illius erit vivens in æternum. Eccl. 37.

MOrs, annos, & facta stupens, quasi victa recedit;
Æquat jura Polus; Fama stat, Ipse cadit.

Aliud.

Satis rigidus Superior; sed salibus eruditis subditorum animos alliciebat.

Ad Cognomen, & Latrunculorum ludum.

COrda jocis *furans*, vincit Sapientia *scacchis*;
Lusibus & *Regem* sustinet ipsa suum.

P.Mag. MARCUS DE MILANIS à Mutina 1677.

Fuit incessanter deditus officio sanctæ Prædicationis; & illud in Ecclesiâ D. Martini Majoris Bononiæ, quantumuis convalescens, voluit reassumere, sed recidivo morbo correptus, cogitur desistere; mox vitam religiosè terminat.

VIvo super Rostris; a Rostris nuncio vitam;
Et mihi vitalem Rostra dedere necem.

Aliud

Aliud

Ad idem Thema.

Medice, cura te ipsum. Luc. 4.

DUm ſtudet æternam Populis conferre ſalutem,
Se *Medicus curat*; nempe lucratur eam.

P. M. ALBERTUS NAVARRA de Mantua 1677.

Multâ erat prudentiâ, & gravitate dotatus; ſuum Conventum laudabiliter, & magnâ gloriæ cupiditate gubernans, juvenis adhuc, citâ morte tollitur ab Officio.

ÆNIGMATICA ENUNCIATIO.

G*Allus*, & *Hiſpanus* contendunt *Regna Navarræ*;
Mens *gravis* acquirit; Sors *celer* inde rapit.

P. Mag. JOANNES de LEIS à Ferraria 1677.

Fuit ſui Conventus prudens, amantiſsimus, & exemplaris Prior; & ceſsit in regimine. Cogitabundus in infirmitate, ac interrogatus quid cogitaret, reſpondit: *Cogito viam Cæli.*

Notas mihi feciſti vias vitæ. Pſ. 15.

AD IPSUM PATREM REPLICATIO.

QUæris iter Cœli, meritis dum limina tangis?
Monſtraſti Natis; eſt tibi nota via.

P. M. CYRILLUS CANTELLUS de Parma 1677.

Christo quietè servire cupiens, propriæ Domus Nobilitati abrenunciat, & hilari animo Religionem ingreditur. Stemma suorum Gentilium sunt *duo Sceptra in modum Crucis*.

Alluditur etiam ad verba. Matth. 19.

Omnis, qui reliquerit Domum &c. & ad illud: *Servire Deo regnare est.*

SIC LOQVENS, PATERNAM DOMVM RELINQVIT.

NObilis ito Domus; me servum Christus honoret;
Dant *tua Sceptra Crucem*, *Crux* mihi *Sceptra* dabit.

Aliud.

Doctor Sorbonensis; Vir eruditus; sed linguâ impeditus, & sermone confusus. Ex Galliâ in Italiam rediens, Gallicâ observantiâ, & vestibus reformatis semper enituit.

SUm sine voce Liber, literas, & dogmata condens;
Correctum promit *pressio Parisiis*.

P. HIERONYMUS de MARINIS à Brixia 1677.

Zelans plurium Conventuum Prior, multas eradicavit inobservantias; Monialium etiã fuit exemplaris Confessarius; & in audiendis Sæcularium Confessionibus erat assiduus, qui ad ipsum, ut ejus sapientibus monitis in Cœlum dirigerentur, frequenter confluebant.

Cum allusione ad Cognomen.

Vos estis sal terræ. Matth. 5.

ABluit a maculis Laicos, & subdita Claustra;
Hoc *salsum* purgat pectora cuncta *Mare*.

P. Mag. JO: BAPT. VEZZATUS de Ferraria 1678.

Fuit per longum tempus Curatus; totus amor, & charitas in proximum; in miseros corde tenerrimus; conscientiâ prudenter scrupulosâ; verbis humilis; in arduis patiens; & lacrymis Gregem adhortans, & corrigens. Ophthalmiâ laboranti, erant semper oculi humentes.

Ab infantiâ meâ crevit mecum miseratio. Job. 31.
Nocte,& die non cessavi,cũ lacrymis monens unumquemq; vestrum. Act.20.

DIligo, compatior, timeo, rogo, suffero, ploro;
Congenitæ lacrymæ cum pietate manent.

P. Mag. VITALIS PALATIUS de Bononia 1678.

Vir undequaque gravis, & serius Prior in Patriâ. Fuit melancholicæ satis constitutionis; & humoris pondere nimiùm gravatus, brevi complet dies suos.

FRonte, animo, gestuque gravis, gravis ore gubernat;
Heu *gravitate* regit, sed *gravitate* cadit.

P. M. GVILLELMUS GVAMIUS de Luca 1679.

Vir exemplaris; multis annis dignus Prior Conventus S. Mariȩ, dictæ *ad Formam*, Insulæ Regni; sub ejus gubernio valde refloruit Observantia; unde Soræ Ducibus fuit summopere carus; qui singulari patrocinio, & beneficentiâ Conventum protegunt.

Reformamini in novitate sensus vestri. Rom. 12.

R*Egna virent Formȩ*; *Formosa* fit Insula *Regni*;
Protegit & gratus *Germina pulchra Draco*.

P. BENEDICT. MAZZOLENUS de Luca 1679.

Sæculum relinquens, Religionem Jesuatorum ingressus est; hac postmodùm suppressâ, remansit presbyter Sæcularis; in nostra tandem Congregatione acceptatus fuit; & paulò post in arctiori observantiâ Viterbii piissimâ morte Fato cedit.

IPSE PATER MORITVRVS, CÆLVM SIC DEPRECARI SVPPONITVR.

CLaustra peto; me Claustra sinunt, nova Claustra resumunt;
Ah requiem certam Vos date, Claustra Poli.

Aliud.

In nostrâ Congregatione professus, ardenter petiit transire ad Vitam reformatam Viterbij; sed ad ipsam vix receptus, exemplariter obit.

AD IPSVM PATREM MORIENTEM ALLOQVVTIO:

QUam cupis, Æthereis in Claustris incipe Vitam;
Jam Te vitali morte *reformat* Amor.

P.Mag. ZACHARIAS BIGONIUS de Bergomo 1679.

Grandis animo, gestis, ac doctrinâ; malè tamen à sorte visus, non nisi Romæ; cujus Conventui affiliatus, propitiam habuit.

SUm Patriâ, genio, gestis, virtutibus altus;
Sortem Roma domat; cogit in alta Rotam.

Aliud

Aliud.

In aſsiduis, & graviſsimis vexationibus ſemper imperterritus & æquanimis in qualibet fortunâ.

SOrtis eram ludus; didici ſed ludere Sortem;
Sors eadem ſemper, Cor quoque ſemper idem.

Aliud.

In Patriâ, & in Urbe dignus Prior, à Secretis Vicarij Generalis, animo excelſus; Proceribus carus, Doctrinâ, & Conſiliis conſpicuus, & quamcunque ſortem contemnens.

CElſus hic eſt meritis, animo ſublimis & ore;
Sorte tamen quavis altior Ipſe ſuâ.

P. Bacc. BONAVENT. de CALVIS à Bononia 1680.

Vir prudens, vultu gravis, ac verborum prolatione turgidus; ſed valde affabilis, ac ſermone jocoſus, & argutus. Theologicâ laureâ ornatus fuit.

EXprimit ore jocos; frons ſeria perficit ipſos;
Mens parit ipſa ſales, nam ſale plena tumet.

P. ADA-

P. ADAMUS GROPALLUS è Genua 1681.

Multoties fuit Prior in Patriâ; & Bonis paternis abundans, ipsis pro sui Conventus commodo se spoliavit.

Ad Nomen.

CLaustra pius ditans, opibus se nudat *Adamus*;
Esse sed hoc *nudum* fert sibi grande decus.

P. Mag. JOSEPH DE LINIS è Corrigio 1681.

Regii Prior, inde Confessor Monialium; multos aufert abusûs, & optimè ubique regit.

AD VIRGAM SANCTISSIMI JOSEPH.

F*Lorida Virga* fui, benè ducitur Agnus, Ovisque;
Corrigium decoro; corrigo; corda rego.

Aliud.

Fuit naturâ ardens; & zelo pariter, atque charitate fervens; & eandem valde in subditis excitavit.

Mulierem fortem &c. quæsivit lanam, & linum &c. non timebit domui suæ à frigoribus nivis. Prov. 31.

L*Anam* Relligio conjungit provida *Lino*;
Texit Amor Vestem; *frigora* nulla timet.

P. M. LUDOVICUS GROSSUS de Mantua 1681.

Constitutione igneus; ardens opere; fuit zelans Prior; Regens, & Concionator ferventissimus; ob intensas applicationes hecticus in juventute consumitur.

IN Solio, in Cathedris, in Rostris emicat ardens;
Destruit heu tantam propria flamma Facem.

P. Mag. ALBERTUS MESSINA de Mutina 1681.

Fuit integerrimæ vitæ; dignè Habitum SS. Virginis gessit; & obiit die Sabbathi ante solemnem Commemorationem omnium Fidelium Defunctorum; quæ, ob diem Solis impedientem, ad Lunæ diem translata fuit.

Beatissima Virgo Carmelitas decedentes, qui ejus Habitum dignè gestaverint, speciali protectione post eorum obitum, præcipuè in die Sabbathi, piè credi potest, quòd sublevet à pœnis Purgatorii.

Ex Bullâ Pauli Quinti 11. Feb. 1613.

Quæ est ista, quæ progreditur, electa ut Sol. Cant. *6.*

PRompta rapit *Natum nitidissima Mater* ab umbris,
Arceat ut *tenebras*, *Sol mediatque* duplex.

P. M.

P. M. JO: PETR. SACCHETTUS de Brixia 1681.

Pius, & sapiens Prior in Patriâ; multæ integritatis, & multi amoris in Religionem; propriis laboribus non paucas pecunias congregavit, quibus perpetuus Census pro Conventu fundatus fuit.

Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in Cęlis. Luc. 12.

T*Hesaurum* cumulat pietas, redditque perennem;
Sacculus est *Cœli*; non sibi damna timet.

P. Mag. JOSEPH REGOLINUS Florentinus 1681.

Eligitur Prior Conventus S. Luciæ Castellinæ, qui est arctioris Regulæ; & vix electus, requievit in pace.

Nescitis diem, neque horam. Matth. 25.

R*Egulus* alta regit; tenuit vix *Regula* Regem;
Nam vigilans regimen *Regula* cæca rapit.

Aliud.

Diu desideratus Prior, & à Deo tandem concessus, citò rapitur, & asthmaticus obit.

DUm malè respirat Pastor, suspirat Ovile;
Heu fugit aura soli, quem dedit *aura* Poli.

P. M.

P.M. JO:BAPT. GVARGVANTUS de Soncino 1682.

Zelo, & amore conſpicuus; officioſus; ſuo Conventui perutilis, & in Congregatione antiquior ſui temporis Magiſter.

ZElat, amat, prodeſt, & durat tempore longo;
Sed breviter vixit, qui benefactor obit.

Aliud.

Obſervantiæ cultor; & inculpabilis vitæ; eodem tempore, quo migravit ad Dominum, P. Magiſter Joannes Baptiſta Guarguantus junior, ejus Nepos, tranſivit ad arctiorem Vitam Viterbii.

NEPOS ADHVC VIVENS ITA SVPPONITVR LOQVI AD PATRVVM IN PROXIMO MORITVRVM.

MOrs tua, quę vita eſt, melior ſit vita duobus;
Te renovet Cęlum, me nova Cella Deo.

P. M. BERNARDIN. FRANCIS. Gottanus à Bononia 1682.

Fuit Regens, & Prior meritiſsimus in Conventu S. Martini Majoris in Patriâ; deinde à Congregatione tranſiit ad Diſcalceatos ſub Nomine *Conſtantini à Cruce* propter ardentem in Sacratiſsimam Crucem devotionem. Magnas in Novitiatu paſſus eſt tentationes, præcipuè de reditu ad Congregationem (ut ipſimet Auctori confidenter aperuit) quas tamen conſtanti animo ſuperavit. Exemplariter vixit; & lithiaſi coactus, in actu ſectionis, intrepidus, & patientiâ firmiſsimus, Crucifixum intuens, moritur.

CLauſtra, Lycea rego; *mutor*; ſed prodeo *Conſtans*;
Dat mihi *petra* crucem; pro *Cruce* petra fui.

Aliud.

Ejusdem ætatis cum Authore; ejus semper intimus amicus; Socius in Novitiatu, in Studiis, in Gradibus, & in Studiorum Officiis. Se denique ab ipso separavit, ut supra.

Ne derelinquas amicum antiquum. Eccl. 9.

AD PATREM AVCTOR.

JVnxerat Ortus, Amor, Claustrum, Schola, Laurea, Munus;
Nos iterum jungant Claustra beata Poli.

P. M. ALEXANDER STROPPA de Brixia 1682.

Magnus doctrinâ, & meritis. Fuit dignus Socius Vicarij Generalis; vix postea Prior Brixiæ, in ipso ætatis flore lithiasi rapitur.

Alluditur & ad Nomen.

FIt Prior, & Socius; socium, meritisue priorem
Non habet; estque citò *Magnus*, *arena*, cinis.

P. Mag. JOSEPH JULIUS è Mediolano 1682.

Prudens, & constans in adversis; pro amicis firmus, & ardentissimus. Anatomicè dissectus, inventus fuit habere pergrandem stomachum, & intacta interiora.

ESt animo constans; est fidus, gratus amicis;
Pectus habet *magnum*; viscera sana tenet.

Aliud

Aliud.

Die festo S. Chrysogoni obsequium Eminentissimo Cardinali Homodeo Romæ, ut Prior, præstiturus, scalas Conventus iteratis vicibus violentâ celeritate ascendit, & descendit; unde vehementi perstrictus anhelitu, & viribus destitutus, paulò post obiit, eo tempore, quo Eminentissimus Cardinalis Alterius in Ecclesiam pervenerat, qui multa in ejus morte, uti benignus Protector, prudentissimè ordinavit.

Ad Cognomen primi Cardinalis, & ad Insignia secundi.

CAusa necis sit *Homo deus*, est pia mortis origo;
Pro Facibus meritò *Sidera* Funus habet.

Aliud.

Pectore obstrictus, cum in sede decubuisset, in eâ spiritum Deo reddidit in Solemnitate, ut supra, D.Chrysogoni Ecclesiæ, & Congregationis Tutelaris; & eâ horâ, quâ Eminentissimus Alterius, ejusdem Congregationis Protector, aderat in Ecclesiâ, qui singulari pietate illius obitum est prosequutus.

Ad Nomen Tutelaris genu aureum *græcè significans; & ad Cognomen Protectoris.*

FErt Cœli ad Sedes *Protectio dupla* sedentem;
Alta levat pietas, *Aurea Crura* regunt.

P. M. JO: BAPTISTA de PISCIBUS à Cremona 1683.

Paſtor corde innocens, zelans, & rigidus in gubernio; Gregis ſalutem perfectè curavit.

Alluſio ad Angelum Piſcis virtutem Tobiæ indicantem.

Cordis ejus particulam, ſi ſuper carbones ponas, fumus ejus extricat omne genus Dæmoniorum; & fel valet ad ungendos oculos, & ſanabuntur. Tob. 6.

T *Artara Cor* reprimit; *Fel Cæcis* lumina reddit;
Huic Raphael *Piſci* viſcera ſana dedit.

Aliud.

Theologus Eminentiſsimi Petri Cardinalis Vidoni.

In theſauris ſapientiæ, ſignificatio diſciplinæ. Eccl. 1.

AD IPSVM EMINENTISSIMVM CARDINALEM.

P *Iſcis* in ore *Petro* monſtrat ſors parva *Numiſma*;
Tu, *Petre*, *Theſauros Piſcis* ab ore trahis.

Pater JOSEPH GUASTALLA de Parma 1683.

Jubileatus; Prior; & Socius Vicarij Generalis. Divino cultui fuit semper intentus; erga SS. Virginem insigniter devotus; ante Ostium propriæ Cellæ transeuntes,ad recitandum ejusdem Beatissimæ Virginis Officium invitabat; eratque invitatio fixè respicere in faciem transeuntis, & altâ voce incipere: *Ave Maria gratia plena, Dominus tecum*. In D. Mariam Magdalenam de Pazzis maximo ardebat affectu; omnia sibi ad usum concessa in ejus honorem impendit; ejus devotionem in Patriâ miro modo propagavit; & sacras Reliquias deferens ad infirmos, erat semper in motu. Animarum salutem zelans, Confessionibus indefessè assistebat. Summâ charitate invisens ægrotos, adhortationibus, & lacrymis solabatur. Morti proximus, Crucifixum attentè intueri, mox modestè ridere visus fuit; Denique placidissimè obdormivit in Domino octuagenarius.

SUnt mea cura Deus, Genitrix, pia Magdala, corda;
Pro miseris fleui; *rideo*, scando, fruor.

Aliud.

Maximâ humilitate præcellebat; sæpe sæpius prostratus, ac velut extaticus, labiisque terram tangens, orare visus fuit.

Respexit in orationem humilium, & non sprevit precem eorum. Ps. 101.

HÆreo voce Solo; Cœlum sed corde penetro;
Terreo sic Satanam; sic prece vinco Deum.

P. M.

P.M. HERCULES LAMBERTUS de Ferraria 1683.

Ad morum rectitudinem, regiminis suavitatem, & immaturam mortem in Officio, magnâ subditorum mœstitiâ deploratam.

DUm Mare Virtutum forti *Dux* navigat ausu,
Herculis heu *metas* morsque, dolorque notant.

Aliud.

Pius, & obsequens Filius Beatissimæ Matris de Monte Carmelo, ac Superior genio dulcissimus, & blandus sermone.

Ad Nomen Herculis.

DUlcia labra fero; lactavit J*uno Maria*;
Ubera nec retrahens, nectare semper alit.

Aliud.

Purè, ac devotè gessit Sacratissimam Virginis Vestem adjutricem in Purgatorio, & piè creditur æternâ requie frui.

Ad idem Herculis *Nomen.*

In quo quis moriens æternum non patietur incendium. Eadem SS. Virgo ad B. Simonem.

ME sacra non *urit*, sed servat *Vestis* ab *igne*;
Astraque non inter, sed super astra levor.

P. SEBASTIANUS CASTELLUS de Mutina 1683.

Prior sui Conventus, impavidus, & læto animo mortem subiit die Festo S. Lucæ, cujus protectioni enixè animam commendavit.

Lucas Hebraicè *: ipsi resurrectio.*

Brevem languorem præcidit medicus. Eccl. 10.

HAnc hilaris lucem sub *Lucæ* perdidit *umbrâ*;
Nempe sub hoc *Medico* vivere morte potest.

Aliud.

Vir probus; & in regimine satis justus; ex cancro in partibus inferioribus invalescente moritur Prior.

Ad illud Proverb. 10.

Iustitia liberat a morte.

IN terris *Cancer*, dominatur in Æthere *Libra*;
Ille terit Corpus; sublevat hæc animam.

P. M. BERNARDINUS PARDUS de Luca 1684.

Genio pius, & moribus purus. Ad Patriæ Insignia, & ad Patris Cognomen.

Si iniquitatem abstuleris à te, levare poteris faciem tuam absque maculâ. Job. 11.

P*Anthera* est Genitrix; *Natus* pia *Septa* colebat;
Pardus enim *placidus*, nec *maculosus* erat.

Aliud

Aliud.

Podagrâ, & chiragrâ in utroque pede, ac in utrâque manu, nec non cordis vehementi oppreſsione frequenter laborans, per viginti duos annos continuos in Lecto detinetur; patientiſsimè propter Chriſti amorem omnia ſuffert; tandem piè complet dies ſuos.

CONfixus Lecto patitur *pede*, *corde*, *manuque*;
Crux Patris *Chriſtum* quàm fuit apta ſequi!

P. M. ALBERT. REBUFFONIUS Brixienſis 1684.

Inſignis Theologus, æquè ſcholaſticus, ac moralis; exemplariter vixit; familiares habuit ſententias, & adagia; geſtibus ipſis loquebatur; & moriens, veri Religioſi ſpecimen dedit.

MOribus, ore, manu moralia dogmata pando;
Ne tibi quid deſit, cętera morte loquor.

☞

P. CHRISTOPH. ORSELLIUS Parmenſis 1684.

Diffinitor Generalis, & Prior Conventuum Mantuæ, Reveri, & aliorum. Podagrâ quaſi ſemper laborans, cogebatur ad ſedem; diligenter tamen, & multo zelo, ac prudentiâ gubernavit; nec non Sanctiſsimæ Inquiſitionis Vicariatum exercuit.

NOn pedibus, ſed mente valens, dat juſſa ſedendo;
Sic reſidet Paſtor; ſic regit aptus Oves.

Aliud

☞ Aliud.

Numquam otiosus; maximæ charitatis in omnes; & semper in motu, ut proximis benefaceret; ad invisendum ejus Cadaver mœstus omnis populus confluit.

TOtus amor *stabas*; Te planxit Turba *jacentem*;
Nunc meliore *situ* fortè fruendo *sedes*.

P. Mag. ANTONIUS MARIA Mazzucchius Lucensis 1684.

Pius, & magnus zelator, ac ingenio perspicuus; elapso immediatè die festo S. Catharinæ Virginis, & Martyris, cui peculiari affectu in infirmitatis extremis se commendavit, animam reddidit Creatori.

DEvotum, Doctumque trahit pia, doctaque *Virgo*;
Perpetuam *Sortem* firmat amica *Rota*.

P. ISIDORUS REGGIANUS Mediolanensis 1684.

Olginatis Conventum diu rexit; de suis laboribus, ac pecuniis ad usum concessis, eleganter renovavit, & auxit Ecclesiam, Claustra, & cætera Ædificia. Erat Vir exemplaris, zelans, & observantiæ amator, quam semper in suis subditis proprio exemplo firmiter, ac tranquillè ad mortem usque conservavit.

SEpta Gregis renouat, Virtutum firmat & Arce;
Divitiis fabricat, moribus ædificat.

P. Baccal. JOSEPH MARIA Vianova de Mediolano 1684.

Ingenio vivacissimus, & in speculativis facultatibus promptissimus Theologus. Fuit mirabilis expectationis; sed in ipso adolescentiæ flore decessit.

Ad Cognomen ipsius & ad Verba Eccl. 24.
Gyrum Cœli circuivi sola &c. & in omni Terra steti.

ECce *Viam* peregrina *novam Sapientia* sumit;
Sed nimiùm properans, heu citò complet iter!

P. Mag. LUCIUS MORGONIUS de Ferraria 1684.

Aspectu, & ore gravis; frequenter sententias proferens; maturus, ac prudens in Consiliis; Doctor Theologus in Patriâ; omnibus Laureatis carissimus; pro Collegio namque, tum consultationibus, tùm opere libentissimè laborabat.

DElphica dicta sapit; lucem dat Lucius ore;
Et Patriam Daphnin Phœbus amatus amat.

Aliud.

Religiosus summæ modestiæ, ac puritatis. Decumbit die Saturni, & in septimâ moritur, adveniente Veneris die.

SUstinet infirmus lucem cujusque *Planetæ*;
Ad *Veneris* radium candida vita fugit.

Aliud

Aliud.

Duo ingentia Capita argentea donavit ad ornatum Aræ majoris.
Ad illud : Caput ejus aurum optimum. Cant. 5.

SI *capita* ęterno donas *argentea Sponso*;
Cui *Caput* est *aurum*, centupla dona dabit.

P. Mag. ANTONIUS MARIA Borgia de Bononia 1684.

Ferrariæ Regens, Bononiam petit Doctoralem Lauream assumpturus; sed morte prævenitur.

QUi Divina doces, Laurum ne quære caducam;
Te in Cœlis tantùm Laurea digna manet.

Aliud.

In Solis occasu eventuram sibi mortem sæpius in morbo dicebat; quæ tamen de mane sequuta est.

SOle cadente mori timuit, qui splenduit ut Sol;
Sed mors, quę vita est, Sole oriente venit.

Aliud.

Præ nimio bilis excessu paulatim consumitur; morbum intrepidè suffert, & piè moritur, qui cum Davide dicere posset:

Probasti cor meum, & visitasti nocte; igne me examinasti. Ps. 16.

Bile licèt fervens, patienter Fata subivit;
Sic Deus electum purgat, & igne probat.

P. ALBERTUS BONETTUS de Mediolano 1684.

Fidelis, & diligens per longum tempus Procurator sui Conventus Mediolani, & in formandis difficillimis computis infallibilis. Vir pius, charitate, cordis dulcedine, aliisque virtutibus refulgens.

Astra, maris guttas numerassent Computa Patris;
Virtutes proprias Computa nulla dabunt.

Aliud.

Tenerrima pietatis viscera nutriebat; & nedum erga homines, verùm & bestiolas ipsas ita dulcis corde fuit, ut aliquādo avem ab Amico pro deliciis in caveâ detentam, prece, pretioque redimeret, eique statim libertatem donaret.

Ad verba Matth. 6.

Respicite volatilia Cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester Cœlestis pascit illa.

PATER AVI DANS LIBERTATEM, SIC AD EAM.

Te pascit, sed durus amor te carcere stringit;
Sis Volucris Cœli; sis pia cura Dei.

P. M.

P. M. CAROLUS RUBECCHUS de Mediolano 1685.

Moribus modestus, & gratus; multâque dexteritate, ac simul sapientiâ P. Magistri Joannis Mariæ Benalei Procuratoris Generalis vices tenuit in Curiâ.

Sermo vester in gratiâ, sale sit conditus. Colos. 4.

EST gratus, sapiens; Carus fit Carolus Urbi;
Servit Joanni *Gratia*, *Salque Mari*.

Aliud.

Vocatus a Patriâ in Urbem; *&* *ab* Urbe *in Patriam rediens, paulò post obit.*

DE Patre cum Patriâ contendit Patria Roma;
Hanc dirimit litem Patria vera Poli.

P. M. HYACINT. MELEGARIUS de Genua 1685.

Ad ejus perfectam paupertatem; egregiam pietatem; ad Nomen; & ad specialem favorem, quo Sanctissimus Dominus noster Papa Innocentius Undecimus eum prosequutus est, restringendo electionem Vicarii Generalis ad septem solos Magistros, & Patrem inter illos nominando.

Melius est Nomen bonum, quàm divitiæ multæ. Prov. 22.

SPernit opes, *Nomen*que pios diffundit odores;
Roma Patris *Nomen* comprobat esse *bonum*.

Aliud

Aliud.

Vir singularis charitatis in omnes; præcipuè in mendicos, & nudos; quibus tegendis proprias Vestes, & indusium ipsum aliquando donavit.

Induimini Dominum Jesum *Christum*. Rom. 13.

Nudus eram, & operuistis me; venite benedicti Patris mei. Matth. 25.

IMmemor Ipse mei, me nudo, vestio nudos;
Induo sic Christum; sic memor Ille mei.

P. M. BARTHOLOM. de FERRIS à Bononia 1686.

Fuit Regens Studiorum Brixiæ; postea Venetiis per longum tempus disertus Concionator; solers Vicarius Conventus Butricarum in humido situ ad Padum; pravâ infectus humiditate, in Patriâ brevi moritur.

FElsineo Cathedras armavit *Brixia Ferro*;
Hoc tenet *humiditas*, moxque *rubigo* terit.

Aliud.

Zelo ductus, frequenter, & altâ voce, si quid mali videbat, liberè, & fructuosè reprehendebat.

VOX CLAMANTIS.

V*Ox* erat, & *clamor*; vitium sua lingua flagellat;
Verbaque sic meliùs, verbera facta, movent.

P.IO.

P. JOANNES BAPTISTA Tassorellus è Genua 1686.

Inclytæ Genuensis Reipublicæ fidelissimus, expertissimus, & ingentis apud ipsam æstimationis per longum tempus Secretarius; inde Christi servus in nostrâ Congregatione. Cum allusione ad Reipublicæ Stemma.

SPlenduit Hic semper sidus, prudensque Minister;
Seruiit ante *Cruci*, servit & inde Cruci.

Aliud.

Excellentissimus totius Cosmographiæ Professor; & in singulis locis, ac distantiis delineandis accuratissimus; plures optimè instruxit in hac materiâ, & multa pariter doctissimè scripsit, & descripsit.

MEnsurat digitis Mare, Terras, Astra duobus;
Fama, Patris calamo, Clima per omne volat.

P. Mag. FRANCISCUS PARMA de Brixia Vic. Gener. 1686.

Magnæ gratitudinis in amicos; & in Patrio Statu multæ auctoritatis, ac opportunè severus.

Ejus Insigne Aquila.

GRatus Hic, atque potens, emit, hamat, amore, rigore;
Fert *Aquila* Imperium, fortificatque *Leo*.

Aliud

Aliud.

Magnis expensis in Ecclesiâ Brixiæ Organa inauravit; & sumptuosissimè Aram Principem exornavit,

ORgana nobilitat, sacrumque Altare decorat;
Congrua sunt Merces, Musica, Mensa Poli.

P.M.FRANCISCUS DEFENDUS
Rota è Bergomo 1686.

Verborum virtute summopere animos movebat; affiliatur Conventui Romæ; Arpini moritur.

Sapiens in verbis, se ipsum amabilem facit. Eccl. 20.

RHetoris arte valens, en Romę *Tullius* alter;
Hunc rapit *Arpinum*, non genuisse dolens.

Aliud

Romæ filius, propitiam sortem habuit; sed Arpini moritur, cum esset Prior Conventus Insulæ Regni.

ME *Lupa* nutrivit; casum sed *Regna* dedere;
Quàm malè Sors varians, voluit ad ima *Rotam*.

P. MI-

P. MICHAEL BARSOTTUS de Luca 1686.

Vir ingenuus, affectuosus, & affabilis. Suæ Cellæ, omnium utensilium, ac ipsius pavimenti munditiem inexplicabili attentione, ac zelotypiâ curabat.

CAndida Cella, Solumque nitent, & munda Supellex;
Sed res candidior Cor Habitantis erat.

P. JOANNES ANDREAS Carinellus è Florentia 1687.

Peritissimus Astronomus; suisq; Operibus Typos sępe sępius decoravit. Surditate laborabat.

AStra videt, Sphærasque capit, cursûsque supernos;
Audire harmonias, debilis aure, nequit.

P. M. HIERONYM. DROGHIUS de Parma 1687.

Superior, humanus, zelans, & providus in Patriâ; nec non SS. Inquisitionis Consultor.

SUm Gregis, & Fidei *Consul* pius, atque fidelis;
Junctus amor zelo, *Virga*, *Securis* erant;

Aliud.

Religiosissimè moritur die Sabbathi, Carmelitarum Animabus propitio; cum esset proximus morti, sibi visum est audire Aves dulciter canentes.

MOx erit huic Animę *præsens Aurora* beata;
Cœlica vox avium nunciat ecce *diem*.

P. Mag. CAROLUS MANZINUS de Regio 1688.

Suum Conventum prudentissimè rexit, & fuit Sanctissimæ Inquisitionis Consultor.

REctè consului, Rector, Consultor amatus;
Nam benè me rexi, consuluique Deum.

Aliud.

Fuit pius, & exemplaris; & satis amplum Volumen, Carmelitanæ Religionis Annales continens, eruditè composuit.

CLaustra colo, gestisque piis, calamoque fideli;
Do sapiens Librum, Factaque digna Libris.

P. Mag. ALEXIUS OBELISCUS de Bononia 1688.

Pecuniæ contemptor, & paupertatis amator, multâque virtute præditus.

VIxit inops; thesaurus ei fuit unica Virtus;
Quin, ipsum renovans, hæc *Obeliscus* erit.

Aliud.

Varia, & satis longa peregit itinera; multis Conventibus, de uno in alium se transferens, inservivit; in diversis mechanicis Artibus animi gratiâ se exercebat; Fuit dignus Regens in Patriâ; multa laudabiliter scripsit; erat efficax Prædicator, & totum Psalterium, nec non cujuslibet Bibliorum Capituli proprium numerum memoriter retinebat.

AUt peragro, aut operor, vel disputo, scribo, vel oro;
Sistere Mercurium Mors valet una meum.

P. JOANNES ANTONIUS Disdottus Bergomensis 1688.

Vigilantissimus, & in calami computis versatissimus Procurator Monasterii reformati S. Luciæ Castellinæ; ejus Officium solvenda solvere, exigenda exigere, & quietantias facere pro Conventu. Quasi semper in Hospitio Florentiæ ad hunc finem degebat; & licèt assiduè cum sæcularibus pro solutionibus, & absolutionibus faciendis tractaret, simul tamen plurium nobilium Civitatis Pœnitentium, suæ curæ ab Alberto de Leonibus in morte commendatorum, Confessionibus frequenter, & diligentissimè assistebat.

SOlvit, & absolvit manus unica computa dupla;
Computa cum Mundo, computa cumque Deo.

P. BARTHOLOM. de MAZZEIS
Lucensis 1688.

Fraternâ charitate in summo gradu flagrabat. Vitæ communis amantissimus, ut ipsâ frueretur, in Conventu reformato S.Luciæ ad Castellinam totum ferè suæ vitæ cursum complevit. Singulari etiam fulgens humilitate, oblata sæpius Gubernia constanti semper animo recusavit.

NOn sibi vivit Amans; placuit *Communio* Vitę;
Esse cupit *Frater*, noluit esse *Pater*.

P. Mag. ANGELUS GABRIEL
Natter à Bononia 1688.

Ex Alemanicâ Origine; S. Theol. Mag. & Doctor Bononiensis, ad quos Gradûs in Mantuæ Studiis se disposuit; erat etiam Serenissimi Ducis Mantuæ Theologus; animarum curam gessit in Urbe; dèinde fuit Procurator Generalis Congregationis; tandem ad Cellæ quietem Bononiam progressus, ibi non multum post tempus obdormivit in Domino.

STirps Alemana fuit; Literis lac Mantua præbet;
Roma dedit *Curas*; Felsina fert *Requiem*.

Aliud.

Oriundus ex Germaniâ, Bononiæ verò in Italiâ natus; moribus,& verbis satis rudis, & ingenuus; pro Amicis constans,& fideliter laborans,itaut à P. Mag.Jo.Paulo Bellino per antonomasiam diceretur: *Natter fidelis*.

NOn Germanus erat, quem protulit Hespera Tellus;
Sed *Germanus* erat, *more*, *labore*, *fide*.

Aliud

Aliud.

De aliquo, etiam ſibi noto, quæſitus, tamquam novus homo ſemper reſpondebat, & de omnibus dubitans, interrogabat: *Quomodo eſt hoc?*

SCit neſcit, ſemperque ſibi nova cuncta videntur;
Mundi nam ſemper dat dubitare fides.

P. M. LUDOVICUS de ÆMILIIS à Brixia 1689.

In ſacris Literis, Jure divino, & Poſitivo, Canonibus, Caſibuſque conſcientiæ verſatiſſimus; in audiendis Confeſſionibus indefeſſus; & pœnitentium animas in Cęlum prudentiſsimè dirigens.

BIblica, Jus Cœli, Canones, Moralia callet;
Cunctas, Dux populi, novit ad Aſtra vias.

P. Mag. FRANC. MEDULACUS de Bergomo 1689.

Sæpe Prior in Patriâ, & alibi; rectè ſemper gubernavit. Utroque pede notabiliter contortus erat.

RExit Oves, claudufque licèt, benè duxit ad Aſtra;
Eſt *Caput* Hic rectum, qui *Pede* flexus erat.

Aliud.

Fuit etiam vigilantiſſimus Socius Vicarii Generalis; omnibus Congregationis negotiis attentiſsimus; multis dotibus ornatus ſupremam meruit Dignitatem, quam tamen, ob pedum fortaſſe deformitatem, non eſt aſſequutus.

Ad Pavonis Proprietatem.

CEntoculus Præſul meritorum lumina pandit;
Pavo ſed eſt humilis, reſpiciendo pedes.

P.M. BERNARDINUS PAULUS de Luca 1690.

Perfectæ Vitæ communis in Conventu S. Jo: Baptiſtæ Viterbii ardens Promotor, & Fundator. Cunctis omninò ſubſidiis ad tantam rem neceſsariis deſtitutus, & in ſolo Deo ſpem firmans, viriliter opus aggreditur; Ejus rectæ intentioni Eminentiſsimus Cardinalis de Maximis fauſtę mem. ex geniali pietate favere incipit, ac multa commoda ſuppeditat, ex quibus poſtea religioſa illa Communitas mirè profecit.

Ad Cognomen, & ad illud Pauli 2. Cor. 6. *Nihil habentes, & omnia poſſidentes.*

MAximus eſt animo; vires huic *Maximus* addit;
Pauli paupertas *nil habet*, *omne tenet*.

Aliud.

Egregiâ humilitate fulgebat. Pro renovandâ Obſervantiâ elegit pauperem, humilemque Conventum Viterbii, qui ad radices cujuſdam clivuli Civitatis eſt ſitus; ibique, nec non in Conventu S. Chryſogoni Romę, qui pariter eſt Redditibus tenuis, & in humili loco trans Tiberim poſitus, Vitam communem inſtituit; & vigilans Paſtor utrumq; Ovile prudentiſſimè rexit. Creatus denique Prior reformati Monaſterii S. Luciæ ad Caſtellinam, quod ſuper Montes in Florentinâ Diœceſi conſurgit, in ipſo regimine piâ morte decedit.

Ad Lucæ *Verba* 14. *Qui ſe humiliat exaltabitur.*

IMa colit vivens; pia Fata in Monte ſubivit;
Poſt *humilem* Vitam non niſi *celſa* manent.

P. Mag. JOSEPH RUFFETTUS
Brixienſis 1690.

Socius Vicarii Generalis, optimis Conſiliis amorem, & pacem fovere ſtuduit. Amatus non minùs, quàm amans Paſtor in Patriâ, dulce gubernium exercuit.

Stemmata Patris *igneas Linguas de Cœlo cadentes* exhibent.

COnſulat, aut jubeat, parit, excitat, auget amores;
Aſſiſtit Patri *Flammea Lingua* Poli.

Aliud.

Sincerus nedum, & fidus Amicus, verùm etiam pro Communi concordiâ ex genio ſemper laborans. Duriores animos efficacibus, & ſuaviter deductis rationibus ſuperare, atque ad amorem allicere ſtudiosè curabat.

In Ejus Stemmate relucet pariter *Igniarium*.

PErcutit, & *Duros* vincit *Vox fortis* amore;
Ut caleant *Silices*, fit ſua Lingua *Chalybs*.

Aliud.

Sanctissimæ Inquisitionis Consultor, laudabiliter, & proficuè tanto munere fungitur.

Ad prædictum Igniarii, *&* Linguarum *Insigne*.

C *Onsiliis* terrens, Phlegetontis Monstra fugavit;
Ignitas Linguas Infera Flamma timet.

Aliud.

Dum esset Socius Vicarii Generalis, ultima Fata subivit; unde immaturus dilecti Patris decessus communi mœstitiâ defletur.

Allusio ad amantissimum Ipsius genium,& ad Aviti Stemmatis Ignes.

RELIGIOSI OMNES AD PATRIS TVMVLVM FVNDENTES LACRYMAS, ITA EIVS AMOREM MEMORANT, ET IMPLORANT.

P Ax Tibi, *Pacis* Amans; Ah nos ne desere; Corda
Ignibus ure *tuis*, o pretiose Cinis.

Aliud.

Morum probitate, scientiarum ornamento, cæterisque animi dotibus redimitus, velut hujus *Musei* Patrum Epilogus, ultimus obdormivit in Domino.

N VNC DECVS OMNE *PATRVM* MORS VNO IN PRÆSVLE TOLLIT;
CÆCA, NIMIS DVRO *FINE CORONAT OPVS*.



SACRI MUSEI
MANTUANÆ CONGREGATIONIS
CARMELITARUM
EGRESSVS.

Excuſatio, quod non omnes conſpicui Patres Congregationis, ſive inſcienter, ſive inadvertenter in hoc Muſeo includantur.

Alluditur ad Nomen Heliæ, & ad ingentem ejus Prolis propaginem.
Numera Stellas, ſi potes, ſic erit ſemen tuum. Gen. 15.

Est *Sol Helias*; Nati ſunt Sidera; multos
Muſa tacet; *Stellas* nam numerare nequit.

Adhortatio, ut Congregati Carmelitæ viventes egregia Prædeceſſorum geſta imitentur.

Ad peculiarem inter ſe Fraternitatem Carmelitarum propter Filiationem Beatiſs. Matris de Monte Carmelo.

Accipe, Fili dilectiſſime, hoc tui Ordinis Scapulare, meæ Confraternitatis Signum. SS. Virgo ad S. Simonem Sthoc.

Poſt obitum Fratres pretioſa exempla relinquunt;
Vos, *veri hæredes*, *Fratris* adite *bona*.

Augurium spiritualis prosperitatis omnibus Carmelitis sub Sidere SS. Virginis, & Astris Alteriis.

Stellæ septem perficiunt Plejadas, earum sex oculis nostris visibiliter patent, septima verò, quasi velo cohoperta vix apparet.

Numquid conjungere valebis micantes Stellas Plejadas. Job. 38.

Ave, Maris Stella. Eccl.

EXCITANTVR CARMELITÆ.

JUngitur, ut faveat, *sex Astris* Virginis *Astrum*;
Vergiliæ surgunt; prospera Vela date.

Idem augurium.

Alluditur ad Serenissimum Ducem Mantuæ, undè Congregatio denominatur: ad Illius Gentilitium Stemma, & ad Heliæ Nomen, quasi Helios, Solem *significans.*

HEliades, sors fausta diu; Vos Juppiter effert,
Diliget & *Solem Regia* semper Avis.

Sub eadem protectione Carmelitis erit ad Cœlum facilis Via.

Allusio ad Heliam Carmelitarum Patrem, & ad Gentilitia Stemmata Eminentissimi, & Reverendiss. Cardinalis de Alterÿs Protectoris, ac Serenissimi Ducis Mantuæ, unde Congregatio denominata.

Verbum ipsius quasi facula ardebat. Eccl. 48.

AD FILIVM HELIANVM,

LUmina dant *Aquilæ*, *Faculam Pater*, *Astra*que lucem;
Quàm clarè ad Cœlum, Nate, videbis iter!

Om


Omen Cœlestis beatitudinis Congregationi de Observantia.

Carmelitæ Beatissimam Virginem adeò venerari cœperunt, ut primi omnium in eo Montis Carmeli loco, ubi Helias olim ascendentem Nebulam Virginis typo insignem conspexerat, eidem purissimæ Virgini Sacellum construxerint. Sac. Rit. Congr. in Lect. pro Commemoratione Solemni.

Beatus qui vigilat ad fores meas quotidie, & observat ad Postes Ostij mei. Prov. 8.

AD OBSERVANTES CARMELITAS.

AD *Postes observet* Amor; persistat & ardens;
Ingressum *Cæli Ianua* grata dabit.



Proteſtatio Authoris iuxta decreta Fel. recordat. Vrbani VIII.

LEctor adverte in Elogiis Virorum Illuſtrium, quos hoc Libro complexus ſum, nonnulla me obiter attingere quæ Sanctitatem ipſis videantur adſcribere. Verùm omnia ita meis lectoribus propono, ut nolim ab illis accipi tanquam ab Apoſtolicâ ſede examinata, atque approbata, ſed tanquam, quæ à ſolâ ſuorum Auctorum fide pondus obtineant; atque adeò non aliter quàm humanam hiſtoriam. Proinde Apoſtolicum S. Congregationis S. R. & univerſalis Inquiſitionis Decretum anno 1625. editum, & anno 1634. confirmatum integrè, atque inviolatè, iuxta declarationem ejuſdem Decreti à S. D. N. Urbano Papa VIII. anno 1631. factam, ſervari à me omnes intelligant, nec velle me vel cultum, aut venerationem aliquam per has meas narrationes ulli arrogare, vel famam, & opinionem ſanctitatis inducere, ſeu augere, nec quidquam eis exiſtimationi adjungere, nullumque gradum facere ad futuram aliquando ullius Beatificationem, vel Canonizationem, aut comprobationem, ſed omnia in eo ſtatu à me relinqui, quem, ſeclusâ hac meâ lucubratione, obtinerent, non obſtante quocunque longiſſimi temporis curſu. Hoc ſanctè profiteor, quàm decet eum, qui S. Sedis Apoſtolicæ obedientiſſimus haberi filius cupit, ac ab eâ in omni ſcriptione ſuâ, & actione dirigi.

SA--

SACRI MUSEI PATRUM INDEX.

A

An-

B

C

D

E

F

G

H

I

L

O

P

Theo-

FINIS.

Vid. Don Paulus Carminatus Cler. Regularis S. Pauli in Metrop. S. Petri Bononiæ Pœnit. pro Illustrissimo, & Reverendiss. D. D. Jacobo Boncompagno Archiepisc. Bononiæ, & Principe.

Jubente Reverendissimo Patre Magistro Paulo-hieronymo Giacconi Inquisitore Bononiæ, Opus hoc inscriptum -- Sacrum Museum Mantuanæ Congregationis &c. *diligenter, ac attentè legi, nihilo prorsus in Catholicam Fidem, Principes, aut bonos mores adinvento; quamobrem, ut imprimi possit, dignum duco: eritquè, cunctis patens, celebre ad Virtutes incitamentum, non minùs, quam pientissimæ dulcedinis Reverendiss. P. M. Clementis-mariæ Felini Authoris mirabile testimonium. Ita manu propria refero Kal. Nouemb. M.DC.XC.*

Ego Bartholomæus Cæsius I.V.D. Collegiatus Protonotarius Apostolicus S. Petronii Canonicus SS. Inquisitionis Consultor Examinator Synodalis.

Stante suprapposita attestatione

Imprimatur

F. Paulus Hieronymus Giacconus Inquisitor Bononiæ.

SACRUM

MUSEUM

F.

